




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

14.-273 4°

(LN bis 182)

Bindet uundersøgt

DA
BOX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

# Hiſtoria
# MICHAELIS BO-IEMI DE SOMNIIS, EO-RVMQVE EVENTIBVS AD HENRICVM RANZOVIVM Regis Daniæ in Ducatibus Holſatiæ, &c. præſidem.

*Cuius Elegia de ſomnijs in fine huius opuſculi adiecta eſt,*

VNA CVM GENEALOGIA FAMILIÆ Ranzouianæ, à Vuigberto Comite Groycenſi, principe bellicoſiſſimo, recens deducta: quæ etiam verſibus incluſa eſt, ad Franciſcum Ranzouium H. Filium, ab eodem Michaële Boiemo.




*Anno ſalutis,*

*M. D. LXXXVII.*

Sum Christophori Pechmanni Consulis Sonderburgensis, iam Leonhardi Peymannii filij ipsius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·

B.R.II.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

# VIRO MAGNIFICO, ANTIQVA ET ILLVSTRI EQVESTRIS ORDINIS DIgnitate, virtute, Doctrina multiplici, autoritate ſpectatiſsimo, Henrico Ranzouio, Sereniſs. Regis Daniæ Friderici II. in Ducatib. Schleſuici, Holſatiæ, Ditmarſio Vicario, & conſiliario, præfecto Sigebergæ, Domino in Bredenberg, Ranzonisholni, &c. Domino & Mœcenati ſuo ſummè obſeruando.

*MAgnifice vir, patrone colende: Quò ratio conſtaret ocy mei, cùm peſtis atrox ſanè, operas noſtras Scholaſticas diſyceret: Vtq; paululum auocarem animum à mœrore concepto, ex vrbis, rei literariæ, addo etiam rerum priuatarum caſu, & ne meipſum deſererem abiectis ſtudys anteactæ ætatis, libuit quaſi recoquere ea, quæ in Academia audiueram, & ceu poſtliminio redire ad philoſophica. Hunc verò locum de Somnys excerpſi è cæteris, quòd lubricus videretur & captioſus, niſi quis attendat: Itaq; vt ſcopulus vtrinq; euitatis, medium curſum tenerem, ne vel in temeritatis crimen inciderem, nondum ſatis cognita damnando: vel in ſuperſtitionum pelagus, raperer, nimium ſomnys tribuendo: quantum cuiq; generi fidei deberetur, diſpicere cœpi diligentius. Acceſſit percommodè hortatus magni cuiusdam viri, cuius autoritati refragari, nefas duxi: qui ceſſanti etiam non deſtitit ad-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

mouere calcar: Imprimis verò in propoſito me confirmabat Elegia T. Mæ. de hoc ipſo argumento doctiſsima, typis diuulgata.

Cum enim tantum virum hac diſputatione occupatum intelligerem, dignum locum putaui, in quo aliqua diligentiæ noſtræ opera poneretur. Etſi autem luculenter ab alijs eſt pertractatus, tamen quia altius animo infiguntur, quæ ipſi verſamur & ſúſq; deq; volumus, quàm quæ leguntur & audiuntur, non pœnituit me laboris, quem huic opuſculo impendi: non vt alios docerem, vel ſuperarem, ſed vt me erudirem, & excitarem. Neq; verò poſtulo, vt referatur in publicum, non enim eſſe tale iudico, vt in doctorum bibliothecis reponatur: ſed T. Mæ. iudicio ſubmitto. In exemplis, quemadmodum etiam aliâs, verba nonnunquam retineo autorum, qui me docuerunt, ſic tamen, vt, quantum fieri poteſt, dictionis æquabilitatem conſeruem. De reb. verò ipſis proteſtor, nihil me affirmare, nihil ratum velle, quod ſuperſtitioſum ſit, & religioni verè Catholicæ aduerſum, ſanæúe rationi boniſq; moribus contrarium. Qualecunq; autem hoc opuſculum eſt, T. Mæ. totum trado, & hoc vnum peto, vt me & ſtudia mea T. Mæ. ſibi commendata habeat, valeat feliciter Ma. T. E noſtro Muſeo, IIII Id. April. 87.

Michaël Boiemus Pirnenſis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

# Hiſtoriæ de Somnijs, eorumq́ue euentibus.



## LIBER I.

### Caput I.

*Quo demonſtratur, eſſe quandam rerum futurarum in anima præſenſionem.*

Caput I. Eſt quædam in anima rerum futurarum præſenſio.

NON SVM NESCIVS, ESSE procliuem in ſuperſtitiones naturam humanam, neque affectare quicquam vehementius, ſtudioſiusúe perſequi, quàm rerum futurarum præſenſionem: Eamq́ labem è primorum parentum lapſu contractam, in totum genus humanum, quaſi ex traduce propagatam. Atq́ hinc profectam Iliada artium, non earum ſolummodò, quæ ſcienti nihil proſunt, ignoranti nihil nocent, quas ματαιοτεχνίας appellat Quintilianus: verum etiam illarum, quas ſi quis curioſè ſcrutatur, exitium ſibi accerſit, & maturat interitum: quæ ſunt κακοτεχνίαι. Et artibus bonis, quæ τέχναι ſunt, omiſsis, aut etiam deprauatis, quin & verbo relicto, quod promulgante & interpretante τῷ λόγῳ, ὃς ἀπαθῶς ἐγεννήθη, καὶ εἰκών ἐστι τοῦ γεννήσαντος, ſecundum Baſilium, eſtq́ λόγος ἐξαγγελτικὸς, iuxta Gregorium Nazianzenum, è ſinu æterni patris eſt prolatum: ambitioſam naturæ noſtræ curioſitatem, ad diuinitatis opinionem auſu temerario aſpiraſſe, & à cœleſti veritate ad ingenij humani figmenta deſciuiſſe. Neq́ hoc mihi eſt ignotum, quòd Euclides multa de dijs interroganti cuidam reſpondit: Cætera quidem neſcio: illud ſcio, quod odêre curioſos. Eſt enim infeſtum Deo illud genus hominum, ſeſe efferentium vltra aleam & conditionem ortus ſui, nec ſuo ſeſe

modulo metientium, pluſq; ſuis viribus & ſagacitati, quàm Deo conditori tribuentium, ſcrutando ea, quæ ſunt Dei propria & peculiaria. Cum verò inficiari nemo poſsit, niſi planè ſtolidus, aut improbus, naturam mentis noſtræ longè præſtantiorem eſſe & nobiliorem, quàm vt præſentib. contenta ea ſolummodo, quæ ante pedes ſunt, interq; manus, inquirat & contempletur, ac non potius in futurum proſpiciat: qua in parte ſola ferè à brutis diſcernimur: tantum abeſt, vt, quouſq; ſeu diuinando, ſeu præſentiendo, aut, ſi cui hoc magis probatur, præſagiendo progredi poſsit ratio, impium ſit inquirere, &, duce voce cœlitus prolata, ſanaq; ratione, diabolica à diuinis, ſuperſtitioſa à conceſsis & in Deum non blaſphemis, ſemouere: vt laudabilis etiam ſit, quæcunq; huic labori cura impenditur. Inter cætera verò diuinationum genera, quorum alij plura faciunt, alij pauciora, De ſomnijs locus eſt planè lubricus, & niſi prouideas, non parum captioſa diſputatio. Etſi enim ratio noſtra, vt ortum traxit de cœlo, ſic & præſenſionem nonnullam habet rerum futurarum: tamen cautione opus eſt, & attenta circumſpectione, ne maiora ſuis ſibi virib. ſumat, neu ea rimetur quæ ſublimiora ſunt acie humanæ mentis, verboque cœleſti prohibita, & à veritatis tramite in errorum labyrinthos ducentia. Hinc itaque effectum eſt, vt nonnulli quibus religio fuit tacitis animæ monitis per ſomnia factis, fidem non habere, in ſuperſtitionum barathrum inciderint: tribuendo illis plus fidei, quàm expreſsis Dei mandatis: alij in alteram partem nimis declinando, (quandoquidem quidquid à mediocritate diſcedit vitioſum eſt) in vniuerſum omnia damnauerint, ijs ſolum exceptis, quæ ſacrorum Prophetarum authoritate, & diuinis oraculis comprobata fidem ab ipſo autore inuenerunt. Cæteri verò, mediocritatis amantes, & medio euntes, ac qui-

dem

dem tutiſsimè, ſomniorum genera, alia ab alijs, qua ratione differrent, oſtenderunt, verumq́ à falſo, lucem à tenebris dijudicantes, & trutina æquali momenta rei ponderantes diſcreuerunt. Occurritur autem nobis & quidem à doctis & eruditis, quærentib. ſatisúe piè facere videamur, qui, cùm conſtitui omnis inquiſitionis noſtræ normam verbum diuinum dicamus, & ad illud ſolum omnes noſtras actiones componendas: tamen & quandam eſſe rerum eventurarum præſenſionem in mente hominis ſtatuamus, & hoc ipſo tempore ſomniorum differentias atq́ euentus perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. Non enim ſumus ij, quorum delectetur aut capiatur animus errore, aut opinionum ſuperſtitioſarum faſcinetur commentis. Quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ ſalutis ſpes potius, non ſolùm falſa non reijciendi, verùm etiam à Deo, & veritatis ſemita diſſentientia cupidè amplectendi? Nos autem, vt cæteri, quorum alij ſomniorum damnant omnium obſeruationem, alij ad nulla non ſe totos religiosè componunt, & quæuis cum auidè captant, tum, anxiè trepidi ſuarum rerum, ſuam illis aſſcribunt fortunam, ſic ab vtriſq́ diſſentientes alia conceſſa, contra alia impia eſſe dicimus. His igitur ſuperſtitionum & inanis curę ſcopulis declinatis, ne fidei naufragium faciamus, quid eſt, quod nos impediat, quæ vera ſint inueſtigare: quæ gloriæ diuini nominis obſint, & animæ ſaluti detrimentoſa, damnare: vt ex vtraq́ parte facta contentione, verum elucere poſsit: Hîc rurſum mihi, tanquam Gorgonis caput, obijcitur verbi diuini autoritas, Quod Deuteronomij 18. interdictum extat eiuſmodi: non inueniatur, qui hariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atq́ auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec diuinos, nec quærat à mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur dominus. Hîç mihi nefas fuerit aſſerere, aut probare

Mediam viam tenendam, vt neu omnia ſomnia imprudenter damnentur, nec ſuperſtitioſe recipiantur.

quicquam,

quicquam, cum hoc interdicto pugnans. Non enim adeò temerarius ſum, vt veritatem, quæ complectitur eſſentiæ & voluntatis diuinæ patefactionem à mortuis petendam, aut ex artib. hauriendam, à ratione humana inuentis, iudicem: ne diuinæ maieſtati ſua non conſtet, ſed ſancta ſit & inuiolabilis autoritas. Non eſt opis & virium noſtrarum, non: neq; ego id vt moliar, adeò ſum audax & confidens. Eſt enim ἁπλοῦς λόγος τῆς θείας ἀληθείας: ſed vt Deum ſolum omnipotentem aſſero: ita eidem ſoli veritati hanc ſapientiam concedo, quæ, humanæ rationi ignota, intuetur, & doctrinam fidei, qua coram Deo iuſtificamur, eiq; grati & accepti reddimur, non aliunde, niſi ex verbo Dei, & fontib. Iſraëlis cognoſcendam firmiter ſtatuo. Nihilominus tamen dubium non eſt, ijs etiam, quæ hominis ingenium, & perſpicacitas, quantumuis languida, & ex labe eius, à quo omnes veluti ex vna eademq; radice germinamus, admodum obſcurata, & labefactata, aſſequi poteſt, duce iudicio naturali, ijs, inquam, ſuum locum relinquendum: In his enim anima & mens humana dominatur, aliud ex alio colligit, ratiocinatur, è præteritis iudicium fert de præſentib. è præſentib. eruditè, acutè & prudenter conijcit futura, Et tum quidem maximè cùm ab affectibus, & vinculis corporis, alta quiete ſepulti, laxata, ſui iuris eſt, & abſq; impedimentis, neq; obiectorum remoris turbata inhibetur, quibus alias diſtracta, varieq; occupata aliò rapitur, ne id quod molitur, agere poſsit. Tum verum, quod affectibus aciem & obtutum humanæ mentis turbantib. nos fugit, nonnunquam anima præuidet: Eoq; propius accedit cognitioni futurorum mens noſtra, quò liberius ſe expediuit curis rerum terrenarum, particula diuinæ auræ, & igneum illum vigorem humi affigentium. In qua re illud admiratione non eſt indignum, quòd omnia ferè rectius intelligit, & certius videt anima, quàm ſe ipſam: &

ſolertiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ſolertiæ acutiſsimæ acrimonia cognoſcit, etiam antequam eueniunt, quæ nulla ſenſuum externorum ope poſsit. Et quidem magis mirandum, quòd, quæ obſcurè offeruntur, & per ænigmatum involucra, ſi non ratione euidente explicat, nonnunquam tamen attenta conſideratione, coniectura non planè abſurda aſſequitur. Agit igitur (vt ad illud redeam, quod propoſueram) de ijs Moyſes, quæ propria ſunt patefactionis diuinæ: non de ijs, quæ acie humanæ mentis indagari & deprehendi poſsunt: quorum nec ipſe ignarus fuit, in omni Aegyptiorum ſapientia præclarè inſtitutus.

Atque inde efficitur nec prædictionem, nec præſagitionem ex ſomnijs repudiandam (veruntamen hac lege & exceptione, vt ne ex Somnijs ea inquiras, quæ ſunt ſolius patefactionis diuinæ, aut ſuperſtitiones adducunt) ſi enim è ſtellarum poſitu, in hæc inferiora vires ſuas exerentium, prædici aliquid poteſt (ſalua tamen ſemper Dei liberrimè agentis voluntate) è varijs affectionib. animæ, quæ per quietem fiunt, ipſa ſe expeditius mouente, & actiones ſuas liberius obeunte, nihil elici poſsit aut præſentiri? De hac nobiliſsima omnium rerum parte, quæ á mente cœleſti delibata, & in naturam, ſecundum Deum, præſtantiſsimam transfuſa, archetypum illum æternum conditorem refert: parum profectò honorificè ſentire videntur, qui, quod non perfectè, acceſsit enim deploranda ἀταξία virium & potentiarum omnium, veritatem rei futuræ proſpiciat, ſed quaſi per vmbram, nihil eam proſpicere aut præſagire poſſe, opinantur, etiam in ijs rebus, quæ naturâ ſunt expoſitæ rationi. Habet autem profectò anima inſitas noticias & κοινὰς ἐννοίας, ſeu προλήψεις ſiue πρόγνωσιν, è quib. notionib. ante ceptis multa infert & extruit, vnde Philoſophus inquit, Noſtrum ſciri nihil aliud eſſe, quàm reminiſci. Etenim ex ijs, quæ natura inſunt humanæ menti, accedente exercitatione,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tione, plura inueſtigat, & ad vſum vitæ humanæ promit vtilia. Ea verò vis ſeſe non ſemper exerit aut elucet, humoribus craſsioribus & corporis mole, atq; affectuum, qui ab obiectis concitantur, perturbationibus oppreſſa.

Animæ vis a corporis impedimentis laxatæ.

Quanta verò vis ſit animæ corporis impedimentis ſolutæ, vel cum ex illo diuerſorio emigrauit, tum denuo iungenda vinculo æterno, cum in reſurrectione omnium hominum, corpus in puluerem & cinerem redactum, inſtaurabitur: vel cum rebus externis non perturbatur, quieſcente corpore, multa arguunt. De illa vi quæ ſeſe oſtendit, poſtquam anima à corpore ſeparatur, nunc non dicemus, neq; enim id propoſitum noſtrum eſt: ſed vide mihi quæſo animam, adhuc illo corporis domicilio contentam, quàm mira efficit in vigilantibus, dum paululum ſeſe amouet à vilibus, & quaſi extra ſeſe rapitur, ita, vt obiecta ſenſuum nulla animaduertat, cuius rei inſtar ſexcentorum erit vnicus Archimedes, qui ſpectator cœli, ſiderumq;, mirabilior tamen inuentor ac machinator bellicorum tormentorũ in tumultu, quantũ capta vrbs in diſcurſu diripientium militum ciere poterat, intentus formis, quas in puluere deſcripſerat, ab ignaro milite quis eſſet, interfectus eſt, neſcius ipſe cædis ſuæ. Hæc anima illa eſt naturarum in hac ampliſsima cœli & terræ machina, quotquot ſunt, auguſtiſsima, quæ admirabili celeritate ſe mouet, multa inquirit ſagaci proprietate, ratiocinatur, artes extundit, multiplici varietate per ſe infinitis modis figurat, & effingit è leui & tenui principio quàm plurima, ſenſu longè pernicior ad mouendum & vertendum ſe à re nulla ſubſiſtente in omnem ſpeciem, vt ait in Bruto Plutarchus, &, quod fingitur, & quod fingit, in ſe habens: Donata præ cæteris rebus omnib. conditis hac prærogatiua, vt apta ſit & habilis ad percipiendum, quidquid vbiq; eſt: Deum verò, & quæ fidei ſunt peculiaria, ſemper excipio. Hæc momento leuiſ-

Decad.3.lib.4. Liuij.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

to leuiſsimo nunc aëra penetrat, nunc æthera ſublimis adit, nunc extremos orbis terrarum ſinus accedit: longè in poſterum proſpicit, proſpiciendo mala imminentia amolitur, bona amplectitur. Sunt nonnulli, quorum anima quæ procul fiunt, videt, & viſa prædicit, & prædictis res ipſa & euentus conuenit, quos ſapientes fatuos dixeris, nam fatui plerunq; habentur. Diabolicos qui dicat, neminem futurum puto, ſed inde accidere ſtatuendum eſt, quòd eorum anima liberior eſt, neque rebus ſordidis dedita. Cumq; hæc ipſa anima tum quoq; cùm in deliberationem & diſceptationem res anceps adducitur, è dubijs & incertis, quid optimum ſit, videat & eligat, & longè pòſt euentura proſpiciat & prænunciet, carceri corporis incluſa, & diuerſis, interq; ſe extremè pugnantibus affectibus, obiectiſq; diſtracta, (quæ in vita occurrunt varia) & nonnihil de ſui ſanitate deturbata: Quid tum fieri putandum eſt, cùm veluti rapta extra ſuum domicilium anguſtum & ſordidum, ſuaſq; cataſtas, nulla re inhibetur? Tum itaq; ſuas functiones obit & exequitur, neutiquam impedita, ceſſantib. obiectis, & ſenſuum exteriorum meatibus leuiter obduratis, ne quid ſeſe, animæ actionibus inimicum ingerat. Si enim interdiu tam pernix eſt, & expedita, vbi multa occurrunt, quibus eius actio impeditur, nónne multo magis admiranda efficiat in dormientibus? Qua de re Cato apud Ciceronem de ſenectute diſputans: Cum remiſsi & liberi animi ſunt, multa eos ait proſpicere futura: & quidem addit, quod dormientium animi maximè declarent diuinitatem ſuam, cum admixtione corporis aliqua ex parte ſunt liberati. Et Artemidor. Somnia grauib. viris ſobrijſq; & ſeria agentib. videntur, ſignificantq; futura, anima nimirum ipſis præſagiente, quæ nam ſua vaticinatrix eſt, eiuſmodiq; motus ac figmenta obijcit, quo corpus domum ac habitaculum ſuum vel ab inſtantibus malis ac pe-

 riculis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

riculis tueatur, vel ad futura bona apprehendenda impendat, magna ſedulitate id agens, vt tanquam in ſpecula corporis collocata, omnia imminentia proſpiciat ac denunciet.

Et pius & prudens Poëta Prudentius in καθημερ: Hymno ante Somnum:

*Dum pererrat omnes*
*Pectusq; feriatum*
*Liber vacat per auras*
*Variasq; per figuras*
*Quia mens ſoluta curis*
*Purusq; fons ab æthre*
*Imitata multiformes*
*Per quas repente currens*
*Quies amica venas*
*Placat rigante ſomno*
*Rapido vigore ſenſus,*
*Quæ ſunt operta cernit.*
*Cui eſt origo cœlum*
*Iners iacere neſcit*
*Facies ſibi ipſa fingit*
*Tenui fruatur actu.*

Tunc enim quàm maximè vigent animi, & ortum originemq; ſuam produnt, eaq; exequũtur, quæ vigilantes aut difficilimè & non niſi ſumma omnium virium & neruorum contentione, aut etiam nunquam præſtarent. Anima enim hominis inter dormiendum Oratorem agit, tanta elegantia, tantoq; rerum & ſententiarum ornatu & dignitate, vt, ſi vigilans ea in re periculum facias, mutus tibi ipſi videaris: Eadem cognoſcit, componit inter ſe natura cohærẽtia, diſiungit, quæ ratio ſyllogiſtica coniungi non patitur: pugnantia inter ſe conciliat, abſurda reijcit, eruditè diſſerit: nonnunquam ad diuinorum conſiderationem & cœleſtium contemplationem ſeſe attollit. Interdum, cœleſtium corporum vi accedente, quæ non parum eſt efficax in ingenijs exuſcitandis, de reb. nunquam cogitatis ipſamet luſum ſibi facit, & ſpiritu æthereo ſtimulata, ne à carminibus quidem abſtinet furore quodam poëtico inſpirata. Quî enim corpus, quæ vilior pars eſt hominis, terramq; referens, ſua grauitate humi ſerpit, hæc efficiat? Nam vt in humoribus poſita eſſe credantur, difficilimum eſt: &

vero minimè ſimile, ſobolem adeò præſtantem ex natura elementari poſſe oriri: & quæ diuinitatem quandam præ ſe ferunt, ea aſſcribere elementis, fuerit ſanè inconueniens. Quid enim diuinitatis inſit ſolis humoribus, rebus corporeis, bili ſcilicet atræ, bili flauæ, ſanguini, phlegmati: quantumuis præclarè temperatis, & optimè inter ſe mixtis. Conferunt aliquid, non nego: verùm ita, vt ſecundum Deum potiores ſibi partes vendicet natura animæ, & ſtellarum, ſuas vires in hæc inferiora transfundentium, efficacitas. Animæ ea facultas eſt, partis nobilioris, agilis, vegetæ, ſpiritum atq; ignem referentis. Ea enim in perpetuo motu eſt, quam ob cauſam ex quorundam interpretatione ἐνδελέχεια vocatur, & quieſcere neſcit, nec nihil agere poteſt, ſed operi ſuo ſemper eſt intenta, quantum per corporis, & foris accidentium interpellationem poteſt, (cum enim corpori operam impendit, iuris ſui non eſt, ſed in plures ſimul actiones, & ſingulos ſenſus vim ſuam tanquam in partes diſtribuit) dormiente corpore, & ſenſib. exteriorib. ſopitis, & quiete, ſine qua durabile nihil eſt, niſi diuinum id fuerit, ſeſe reficientibus, ipſa in motu continuo, omnes partes ſtudioſè perreptat, ſuæq; fidei domum commiſſam fideliter gubernat, nihil non cognoſcit, meditatur, prouidet, & ex leuiſsimo initio infinita conuerſione multa excudit. Sic eruditi multa inueniunt & inueſtigant (à qua inquiſitione μοῦσαι & ἔμμουσοι: & ab hac alieni ἄμουσοι) & ad excolendas artes depromunt è diuite ingenij penu, quæ aſsidua cogitatione non fuerunt conſecuti. Immoratur in diurnis conſilijs animæ, eaquè ſecum ipſamet diligenter in omnes partes verſando recoquit: nec recoquit tantum, ſed & diligentius omnia & ſapientius inuenit, diſponit, in ordinem cum delectu redigit, pronunciat. Admirabile profectò hoc opus eſt, dixerim penè diuinum, nec ſatis explicari poteſt, vnde in animo, per ſimulacra, quæ dormien-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tibus offeruntur, ea nonnunquam effingantur, quæ vigilantes, nunquam vidimus, cognouimus, cogitauimus: vnde multi docentur aut ratione eruunt, quæ, corpore non ſopito, inuenire nulla induſtria, ſtudio, intentione potuerunt. Et quî poſsit anima noſtra eſſe ocioſa, quæ immortalis & æterna eſt, ſiquidem ne brutorum quidem anima, corporis membris ad quietem & ſomnum compoſitis, vel ipſa id demonſtrante experientia, cui accedit autoritas doctorum, ſemper feriatur. Videmus enim ex motu & geſtibus, canes ſomniare: Petron: Et canis in ſomnis leporis veſtigia latrat. Et
Idyl. 28. Theocritus de iïſdem: καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, ἰχθὺν ἠγὼν: Et præter hominem ſomniare equos, canes, pecora, capras, palam eſſe, ait Plinius Hiſtoriæ Naturalis libro 10. cap. 75. ob hoc credi & in omnibus quæ animal pariant. De iïs quæ oua gignunt incertum eſſe, ſed dormire ea, certum. Si itaque ea anima, quæ vel κρᾶσις eſt, & temperamentum qualitatum atque humorum, aut ex his quiddam proſiliens & emergens, non quieſcit in ſomno: Ocioſáne ſit anima hominis à mente diuina decerpta? & immortalis cum ſit, opus ſuum intermittat? Quod affirmare fuerit abſurdiſsimum, & in eam, qua eſt producta, originem iniurioſum. Quod ſi ocioſa non eſt, quid aliud agat, niſi vt ſui perpetuò ſimilis, ſimilitudines rerum comparet, componat, diſiungat, præteritorum reminiſcatur, præſentia iudicet, è præſentibus euentura colligat, & multa vſui humanæ vitæ commoda, inueniat, & eruat. Id quod eſt officium viri prudentis, non ea ſolum videre, quæ ante pedes ſunt, ſed futura præſentire. Cum itaque vir prudens præuideat in conſiliïs, & deliberationibus, quo quid modo gerendum, & quem habiturum ſit exitum, longè antequam ſuſcipitur & geritur: & tum quidem cum vigilat, & corpo-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ris obiectorumquè importuna interpellatione aliô auocatur, & affectuum impetu perturbatur ( nequaquam enim radicitus euelli poſſunt & extirpari affectus, etiam in ſapiente, ſiquidem nemo deſerere ſe ipſum omnino poteſt, quod quidem volunt Stoici : eſſet id hominem exuere, in quo lucta manet perpetua rationis & ſani iudicij cum affectibus, ſecundum Philoſophos : carnis & ſpiritus in ijs, qui renati ſunt per verbum, iuxta Theologos ) difficilius id fuerit quieſcente corpore, cùm eſt vacua anima externis corporis impedimentis : ac non multò expeditius & liquidius vi ſagaci ventura aliqua proſpiciat.

Ad vim animæ innatam accedunt ſtellarum effectiones â quibus exuſcitatur & exſtimulatur, non aliter ac ex fauſto Mercurij, Solis, Veneris poſitu Poëtæ faciles fiunt & ſuaues, Mercurio acrimoniam, & facultatem inueniendi præbente, Sole addente lumen & ſplendorem, Venere dignitatem & venuſtatem. Eſt enim profecto externa aliqua vis & cognata, interiorem animæ vim extimulans, aliunde aduenıens, & à ſtellis profecta. Quemadmodum enim à luce ſolari, quæ per vniuerſam hanc cœli & terræ machinam, quàm latè illa patet, diffunditur, id luminis, quod oculis noſtris natura eſt inſitum, accenditur, vt quæ ſenſui viſus ſunt obiecta, videamus, & aliud ab alio diſcernamus: A Sole enim, qui fons eſt luminis, illa lux promanat : ſic â cœli & ſiderum motu perpetuo per συμπάθειαν, animæ vis vellicatur & exuſcitatur, & acumen ingenij atque ſolertia acuitur atque augetur.

Anima exuſcitatur a ſtellarum vi & effectionibus.

Aut ſicut Lunæ & ſtellis reliquis, lux quidem eſt innata, verùm adeò exigua & tenuis, vt per ſe non luceant, niſi à Sole illuſtrentur : ita mente ineſt ratiocinandi facultas : cietur autem â cauſa aduenticia, cognata



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

& ætherea, vt futura præuideat. Quandoquidem autem humana mens eiuſmodi opera inſtituit, quæ digna ſunt admiratione, & bonam conſequentiam eruditè texit: nónne idem facilius exequatur, & multò admirabilius, accuratiuſquè, vires iungente illi lumine cœleſti, & cognato? Cumquè tempeſtatum & mutationum aëris ſint prognoſtica, & indicia, ſi non certa, at ſaltem veriſimilia, è quibus pluuiam, ſerenitatem, ventos conijcimus: Anima rationalis nihil præuideat? Collocat ingenioſiſsimus omnium artifex in nube caua & rorida Iridem, cui ab admiranda arte, & pulchritudine ſtupenda Thaumantias nomen factum eſt à Poëtis, ipſiſsimis naturæ inquiſitoribus: ſecundum Theologos quidem, vt ſit ſignum fœderis inter Deum & hominem, & teſtimonium de mundo non amplius diluuio vniuerſali perdendo, ex ſententia verò Philoſophorum, vt ſit nuncia pluuiarum, vnde pluuius arcus nominatur ab Horatio: & rana paluſtris, cornix vaga, anas, hirundines, & viliſsima quæquè, imminentia præſagiunt: nihil præſagiat mens noſtra? Eſt omnino, eſt maior potentia animæ & vigor ſublimior, quàm vt intra ea conſiſtant eius actiones, quæ ſunt antè oculos: & finibus adeò anguſtis ipſa incluſa coherceatur, vt futura omnino non proſpiciat: & maior eſt, quàm vt nihil efficiat remotis obiectis externorum ſenſuum, & Sol ipſe pulcherrimus mundi oculus, quantam mundi partem lumine ſuo illuſtrat? Noſtra mens, cui non modo igneus eſt vigor & cœleſtis origo, ſed & immortalitas obtigit, quæ res tam varias, tam multiplices, tamquè infinitas, celerrimè complectitur cogitatione & ſenſu, curis ſedatis nihil videat eorum, quæ in ſenſus exteriores non incurrunt, nihil prænoſcat, conſequentia non cernat, nec principia, cauſas,

*Si a rebus corporalib. ſunt præſagia, multo magis in anima.*

cauſas, anteceſsiones, progreſſus, euentus rerum norit, à nebulis externarum curarum libera? Quod enim in naui eſt gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in vrbe lex, in exercitu imperator, id in homine anima eſt: Cùm verò ſol omnia radijs ſuis perfundat, gubernator ad clauum ſedens nauim gubernet: auriga equos & currum moderetur, præcentor harmoniarum concinnam ſuauitatem curet, Lex mores informet, atq; tranquillitati ſalutique ciuiumconſulat, Imperator exercitui præſit: Et tum quidem optime, ſi non laboret Sol à ſtellis maleficis, aut radijs hoſtilib. infeſtetur: gubernatoris artem tempeſtatum furor non ſuperet, equi non ferantur præcipites, præcentor habeat, qui præeuntem ſequantur, nec harmoniarum ſuauitatem & vocum conſenſum turbēt, Lex ad moderatos ciues, Imperator ad milites autoritate valeat: Nihil certius & laudabilius anima præſtet, depoſitis curis diurnis, quàm cum claſsico & tumultu perturbationum, affectuum, obiectorum, affligitur, & diſtinetur. Nam τὸν νοῦν ἀνθρώπου ὑπὸ μυρίων φροντίδων περιελκόμενον, ἀμήχανον ἐναργῶς ἐνατενίσαι τῇ ἀληθείᾳ: φέρουσι γὰρ τῆς ψυχῆς ἐπισκότησιν, iuxta Græcum Theologum. Quorſum hæc tam multa de præſtantia & viribus animæ humanæ, à moleſtijs corporis, & obiectorum impedimentis paululum laxatæ? Eò nimirum, vt ſtabiliatur hæc ſententia, non omnia vana eſſe ſimulachra, quæ dormientibus offeruntur, nec ab humoribus tantùm, aut temperamentis oriri, nec à diurnarum cogitationum, in ſenſibus adhuc hærentiū, reliquijs: ſed eſſe quædam præſagientia, animæ propria, & à corporib. cœleſtibus irritata. Et fuerit profectò à ratione alienum, ſi corpori, ex terra orto, & in terram, termino viuendi circumacto, iterum abituro, ex qua eſt compoſitum, ſua repetita origine, proprios dixerimus eſſe nuncios, & miniſtros, quorum admonitu imminentes

morbos cognoſcat, Animæ vllos eſſe negauerimus.

Eſt autem luce meridiana clarius, & cuiuis, modo non planè inerti, ſuiq́ ipſius prodigo, obuium, ex ſomnijs de temperamentis, abundantia & defectu humorum diuerſorū, diuerſa etiam eſſe indicia. Nam fluminis diminuti alueum exiccatum, ſi in ſomno videas, ſanguinis & humorum defectum indicant: quos extra modum prodire, flumen pleno alueo currens, portendit.

Si maris aqua ſit turbida, humores in ventriculo copioſe collectos, periti medici iudicant, & eiuſmodi ſomnia minimè negligunt: Cadauera, tenebræ, ſpectra, & his ſimilia temperamentum arguunt melancholicum: Ignis, incendia, cumq́ his cognata, bilis copiam oſtendunt. Hæc præſagia ſumuntur à rebus ex elementorum commixtione profectis: nulla igitur ſint animæ, dormiente corpore nequaquā ab opere ſuo ceſſantis, ſed multò agilius & alacrius functionem vrgentis? Nam ocioſam dicere, omnium naturæ partium moderatricem animam, aut fruſtra aliquid agere, quî audeas? Ocioſa autem certè eſſet in ſomno, quo magna vitæ pars tranſitur, niſi per imagines inter dormiendum cerebro obuerſantes, quid ſignificaretur: Et flammulæ illæ, virtute cordis in ſiniſtro thalamo natæ, & poſtquam in caput trāſmiſsæ ſunt, cerebri vi peculiari, lucidiores redditæ, huiusq́ temperamento aptatæ, temerè inter dormiendum concurrerent, more atomorum vagabundè diſcurſantium, & ſine vſu euaneſcerent.

Sunt igitur ſomnia aliqua fatidica & præſagientia, non à diabolis immiſſa, neque ex humoribus corporis orta, neq́ immediatè à Deo profecta, ſed ab ipſa anima, à ſtellis concitata. Quare Auerrois celebratur ſententia: Somnia quædā eſſe diuinationes & prophetias negare, eſſe negare ſenſata.

Et ad-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Et addit, Nullus homo eſt, qui non viderit ſomnium, quod non nunciarit ei aliquid futurum, idque non caſu, ſed eſſentialiter: Et Albertus Magnus: Somnia frequenter futura & occulta demonſtrant, ex quacunq; cauſa ſint.

Ferturq; dixiſſe Zeno Eleates, è ſuis quenque ſomnijs deprehendere poſſe, quantum in philoſophia profeciſſet.

Ne verò tantum narremus barbaros & philoſophos, Iobum audiamus, cùm venarum terræ cauernis abditarum, tùm cæterarum naturæ partium, maximè gnarum: Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor in homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina. Ioëlem hîc præterimus, ſi quidem autoritate eius vtitur Apoſtolus, præco circumciſionis, de effuſione ſpiritus Sancti in Apoſtolos, facta die à paſchate quinquageſimo: ne cum rebus diuinis humanas (de his autē hîc agimus) confundere exiſtimemur. P. Cornelius Sylla Lucullo, quid in re militari potiſsimum ſequeretur, interroganti, ſomnia cum primis animaduertenda, reſpondit: Nihil enim certius, nihil creditu dignius eſſe eo, quod per ſomnium præſignatur: Idque præceptum Lucullus memoria retinuit, & Sylla commentarijs ſuis inſeruiſſe ſcribitur. Quod quidem dictum limitatione eget & reſtrictione, vt infra docebimus: non eſſe autem omninò falſum, ratio & euentus comprobauit.

Aſtruunt idem poetæ homines ingenioſiſsimi, quibus medulla ſapientiæ humanæ eſt commiſſa, Non eſſe omnia ſomnia vana aut irrita. Tibull. ab Apolline ad mouendam amicam iubetur Blandas adhibere querelas. Idem confirmat Propertius ad Cynthiam Eleg. 28. de naufragio: libro 3. Eleg. 2. Lib. 4. Eleg. 7. Et poetarum Latinorum princeps Maro, in 4. Aeneid. Dido reginam ita loquentem introdu-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

cit, Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent. Lucianus etſi εἴρων ἄθεος, & talis qualem deſcribit, Pſalmus I. contemptor omnis religionis, non tamen indoctus, ſuo more ludit: & ſic quidem, vt ex Homeri & Virgilij autoritate alia ſomnia vera faciat, alia falſa. Et præclarè Lactantius libro de opificio Dei, capite decimo octauo: Vt mens per diem veris viſionibus auocatur, ne obdormiat: ita falſis, ne excitetur. Nam ſi nullas imagines cernat, aut vigilare illam neceſſe eſt, aut perpetua morte ſopiri. Dormiendi ergò cauſa tributa eſt a Deo, ratio ſomniandi, & quidem in commune vniuerſis animantibus. Sed illud homini præcipuè, quod cum eam rationem Deus quietis cauſa daret, facultatem ſibi reliquit docendi hominem futura per ſomnium.

Nam & hiſtoriæ ſæpè teſtantur extitiſſe ſomnia, quarum præſens & admirabilis fuerit euentus, & reſponſa vatū noſtrorum ex parte ſomnijs conſtiterunt. Quare neque ſemper vera ſunt, neque ſemper falſa, Virgilio teſte, qui duas portas voluit eſſe Somniorum, ſed quæ falſa ſunt, dormiendi cauſa videntur: quæ verò immittuntur à Deo, vt imminens bonum aut malum, hac reuelatione diſcamus. Hæc Lactantius, ſcriptor argutus & eloquens: & theologus non contemnendus. Quod ſi ſunt aliqui, quibus hæc aſſertio improbatur, ij videant, ne parum ſibi conſentiant. Quotus enim quiſque eſt, qui, etiamſi omnem præſenſionem in ſomnijs factam neget, tamen, ſi quod concinnum occurrit, id non admittat, aut etiam ſcriptis ſuis inſerat? ſi igitur cenſores illi rigidi, exempla euentu comprobata, in viris bonis non repudiant, cur hanc aſſertionem damnent. At enim, nullas habent ſomnia ἀποδείξεις. Hoc in confeſſo eſt, in tanta ſomniorum varietate multiplici, non ſemper aliquid certi definiri poſſe: ſi quidem tota ea res coniecturis innititur, & ea quæ ſigni-

Etiamſi non *ſint* ἀποδείξεις, non tamen omniū ſomniorum obſeruatio eſt impia.

ſignificantur per ſomnia, multis modis mutantur, precibus, prudentia, cautione: neque ſunt coniecturæ omnium hominum: Nec tamen (niſi à præſcripto verbi cœleſtis, & lumine rationis diſcedant) omninò ſunt reijciendæ, ſicubi non ſemper ſint euidentes.

Nam & in Aſtrologia, in qua effectus & mutationes inquiruntur, quas corpora inducunt ſupera & ætherea in hæc inferiora & elementaria, contentos nos oportet eſſe τῷ ἔγγυςα, idque non raro, quamuis ea diſciplina nitatur ſcientia Geometriæ, a qua ὀνάγκαι γεωμετρικάι nomen habet: Quantò magis hæc pars, quæ obſeruationib. conſtat, & ingenij ſolertis acumine, veniam meretur, ſi qua in iudicando aberratur, nec ad rhombum omnia. Itaque qui omnibus fidem ſomnijs derogabit (excludo ſemper diabolica, excludo ſuperſtitioſa, Iliada malorum ſecum trahentia) quid ſentiat de Aſtrologia non video. At eam ſi quis ſpernendam iudicat, quod interdum inops â demonſtrationibus, quas in arte ſua natura perfecta, nos imperfecti non intelligimus, veriſimilibus eſt contenta: facit næ ille perquam ineptè: Nulla enim vitæ pars carere hac ſcientia poteſt.

Veruntamen hoc accipi dictum velim hac lege atque omine, vt ne metas & ſepta conditionis humanæ excedat, & vel neceſsitatem effectuum corporibus illis lucidiſsimis, horum pulchro ordine, ſitu, luce, harmonia, motu, viribus deceptus, tribuat: vel euentus temerarios audacter fingat, quo vel cauſis ſecundis, & earum connexioni Deus, numen liberrimum, & omnia faciens, quæ vult in cœlo & in terra, alligatur: vel non ſatis attenditur, quæ ſit naturæ & ingenij noſtri imbecillitas, quæ etiam naturæ opera, veluti per nebulam craſsiorem obſcurè intuens, interdum fallitur.

Cum itaque Aſtrologiæ ſuus ſit locus, & ſua dignitas



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

apud ſanos, & ſobriè iudicantes, etiamſi verſetur circa particularia, & pro euidentibus nonnunquam probabilia ſequatur: Ne coniecturæ quidem improbabuntur, dextrè iudicantibus de ſomnijs, non refragantes voci doctrinæ cœleſtis, rectè rationi, vitæ communi.

Hîc in animum mihi incidit diſputatio eruditorum de annis climactericis, quos ſolares & Gradarios appellant, nõnulli etiam Decretarios & κριτικούς: Sunt & qui ἑβδοματικούς, à numero ſeptenario, & ἐννεατικούς à nouenario; quod ſeptimus & nonus annus inſignem mutationem afferat, vitæ, valetudinis, honorum, exiſtimationis, fortunarum: nonus veró maximè: vnde fit, vt ſexageſimus tertius annus ſit periculoſiſsimus, qui ex vtriusque numeri multiplicatione exurgit, Heroicus ideò nominatus, quod viris magnis ſit plerunque fatalis & infeſtus: Qua de cauſa Auguſtus Cæſar Epiſtola ad Caium è Iulia filia nepotem gratulatus ſibi ſcribitur ab A. Gellio, cum hunc annum qui ſenioribus, à quibus climacter ſenum vocatur, cum periculo & clade aliqua venire aut corporis, morbique grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis, obſeruatus eſſet VIII. Cal. octob. euaſiſſet, anno Imperij Quadrageſimo quarto (ab eo tempore quo vnà cum Antonio & Lepido Triumuir præfuit) anno Chriſti nati quarto, P. Alfeno Varo Iuriſconſulto cos. Atque hanc quidem annorum periodum, veteres accuratè obſeruarunt, & rationem, cur non negligatur, adfert experientia: non diebus tantum Criticis, ſed annis etiam mutationes importari ſingulares, cum valetudinis, tum vitæ totius, virtutemque in corporibus moueri vel in melius, vel in deterius, quaſi metam conſtituente natura, à qua nouum curſum & quaſi telam vitæ noſtræ pertexat annis ſequentibus, ad aliam vſque periodum decurrendam. Et hic quidem cir-

euitus adeo euidens eſt, quacunq; ſane ex cauſa, vt non in corporibus ſolùm & fortunis momenti habeat plurimum: verum etiam in arboribus, quarum eas quæ molli ſunt ligno, quarto quoque anno: quæ verò duriore, ſeptimo aut nono, agricolæ apud gentes quasdam, ſylua amputata detruncent.

Horum igitur annorum obſeruatio non eſt prohibita, aut impia, modò ne id fiat ſuperſtitioſe: Quinam igitur impia putetur obſeruatio imaginum, quas mens, dormiente corpore, & ſedatis perturbationum fluctibus, ipſa ſibi reddita, ope ſpirituum artificioſe pingit, vt ſint ſimulachra rerum futurarũ: ad quæ non minus euentus interdum certus ſequitur, etiamſi eius ratio non pateat, quàm annus climactericus ſiue ex certa Planetarum circumvolutione, ſiue ſtellæ alicuius fixæ & verticalis efficacitate, ſiue aliunde, (non enim non eſt obſcurum) humores, valetudinem, dignitates, fortunæ bona quaſſat & commouet.

Quanquam autem interdum euentus ſequitur, cuius cauſa deprehendi nullo pacto poteſt, ne quis miretur. Fiunt enim non pauca ex occulta cauſa, in aſtris cœlique influxu poſita: fiunt plurima ex ſingulari prouidentiæ diuinæ conſilio, in quo inueſtigando, non minus cæcutit ratio humana, quàm ad ſolem lippus: & hallucinatur, errat, decipitur non raro debilis mens noſtra, in ijs quoque, quæ mentis ſunt propria. Vnde effectum fuit, vt inopinatos ſomniorum euentus omnes, caſu euenire nonnulli putarent, & inter accidentia maxime dubia & fallibilia numerarent, inducta triplici diuiſione ſomniornm, ex quibus aliquid prædicitur, quæ ſunt σημαντικὰ, quorum alia ſint cauſa, impellens nos ad actionem ſuſcipiendam, vt qui morbum agnoſcit, medicum conſulit doctum & fidelem: alia ſint ſignum, ex quibus prædicitur de rebus ad corpus pertinentibus, de temperamentis,

de hu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

de humoribus. Accidentibus alia ſimilia: Vt ſi quis ſomniet de hoſtili impreſsione, de qua ne cogitauit quidem: de tradendo ſibi diſcipulo, quem nunquam viderit, nunquam audiuerit: de tyranno regnum inuaſuro: de quo non fuerit concepta vlla ſuſpicio, & quæ ſunt generis eiuſdem, quorum rationem ignoramus, euentum verò cernimus. Nihil igitur obſtat, vel demonſtrationum inopia, vel cauſarum, è quibus euentus ſequitur, obſcuritas, quo minus credamus, non omnia ſomnia eſſe imagines euanidas, & nullius rei euenturæ ſignificatrices.

Quamobrem, vt non negamus eſſe ſomnia nonnulla vana & falſa, quæ fallaci ludunt temeraria nocte: Ita præſagientia & vera quædam ſunt, non veſtigia earum, quas interdiu egimus rerum, aut animo voluimus: non orta ex commotione, defectu, abundantia, qualitate humorum: non ex temperamento præcipuè: neque a Deo (illa enim nunc ſeponimus, de ijs acturi poſtea) peculiariter immiſſa, vel immediatè luce ſua perfundente corda, & cerebrum ſpiritusꝗ; illuſtrante lumine cœleſti, vt euentura proſpiciant, & ardorem excitante inquirendi res futuras, ſomniumque reconfirmante: vel angelorum miniſterio id efficiente: neque à diabolo, hoſte humani generis, & huic cœdem, & interitũ machinante: quanquam nec à præſagientibꝰ Deus ſit excludendus, ſalutaria ſignificantibꝰ homini, nec tacitè & latenter diabolum more ſuo, varie ſe hominibus inſinuare, & ambiguas & noxias inſtillare interprætationes, inficias iuerim: ſed animæ intelligentis, & in poſterum proſpicientis propria, & à ſtellis, corporibusque ſuperioribus excita, ſicut in poëtis & vatibus, furor & ſpiritus ſedibus æthereis veniens, qui ἐνθυσιασμὸς eſt, cœlitus defertur, & in animos non omnium, ſed ex infinita hominum multitudine, paucorum influens, quorum

rum ſemina ſunt generoſiora, eos quaſi numine aliquo afflat, vt curis & ſenſibus liberi, admiranda producant, & communem hominum reliquorum aleam ſuperantia.

## Caput. II.

NEC vero nullius momenti eſt, ea, qua de agimus, in ſomnis imaginum formatio, nec vtilitatis expers, Quid enim fruſtra, quid temerè faciat animus, à diuina mente hauſtus? *vtilitas huius doctrinæ.*

Nam vt ordiamur ab illis, quæ ex humoribus proficiſcuntur, & ex defectu aut exceſſu eorum, è quibus totum corpus conſtituitur, quæ tamen nobis non præcipuè propoſuimus, de his ad Philopæmenem, parens medicorum Hippocrates; Non contemno ſomnia, maximè cum ordinem ſeruant. Addit autem cauſas duas, quarum priorē ipſi relinquimus demonſtrandam, quòd ſcilicet vtriusq; Medicinæ & vaticinationis inuentor Apollo ſit: Altera eſt, quod morbos & ægritudines prædicant, ægrotosq; & ægrotantes ſanent. Et quiſquis, inquit, de his, quæ in ſomnis obueniunt, benè coniectat, is magnam ipſa habere vim ad omnia reperiet. Sunt enim ſomnia non rarò duces & exploratores ad cognoſcendum morbos vel accedentes, vel incrementum capientes, vel denique diminutos. Cum vero non cognito morbo, vana ſit opera medici, ſanitatem negligit, & vita ſe priuat, qui negligit ſomnia. Subinde itaque ex ægrotis eſt quærendum, vt noctem exegerint, quibusue inſomnijs fuerint agitati. I.

Ex his enim de morbis ingruentibus, de humoribus, in corpore prædominantibus, qui ſunt ſeges & materia morborum, cum ſunt malicioſi, & à temperie diſcedunt, conie-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ctura capitur. Qui enim fœtidè olere, ſordibus & cæno volutari, in cantharo propinato, oletum ſe accipere ſomniat, humores indicat ſomnijs pares, putridos, fætidos. At cum inter flores verſari tibi videris, & odorum fragrantium, aut Iridem conſpicis coloribus lucidam, ſinceri ſunt ſpiritus, puri, lucidi; Mirè igitur hæc doctrina vtilis & frugifera eſt, vt ſtatum corporis cognoſcas, eoque probè cognito, ſi quid morborum impendet, auertas: & præſentes moderata victus ratione, & medicamentis conuenientibus corrigas & lenias.

II. Deinde Lactantius loco ſuperius adducto, ſomnia falſa dormiendi cauſa eſſe homini data, vt eas imagines tractans & verſans, ne excitetur.

III. Poſteà cum mentes humanæ anxiè torqueantur, rerũ futurarum metu, & timores ſæpè ſibi inanes fingant, ſomniorũ diſcrimine non obſeruatio, cauſa metus falſi præciditur, ſi, è quo genere vnum quodq; ſit, cautè diſcernas. Non enim raro fit, vt quorum animo inter dormiendum offeruntur arma, gladij, tela, conflictus, ſanguis, cædes, funera, propoſitum iter, & actionem omittant, & occaſionem bene gerendæ rei negligant. Etenim ex eiuſmodi viſionibus, ſibi ipſi non ſatis prudenter ominantur, non feliciter ſucceſſurum, quod animo parant, & inſtituunt: neque animaduertunt, non eſſe, ſomnia illa diuina, aut præſagientia, ſed vel ex ijs quæ egerunt interdiu, nata, aut è vino copioſiore, immodica fatigatione, cibis calidis, ſpiritibus vehementius inflammatis, bile commota, & alijs profecta.

IIII. Atque hinc alia extruitur vtilitas, ne aut temerè damnemus omnia in vniuerſum ſine diſcrimine ſomnia, aut omnibus imprudenter fidem arrogemus: quorum illud iacturam ſecum affert valetudinis, & imprudentiam nimiamq; ſecuritatem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tatem & ignauiam: hoc horrendas parit ſuperſtitiones, & à ſincero Dei veri cultu mente ſuſpenſas auocat.

V. Prætereacum ſomnia plurima ſint inania figmenta, & formæ caducæ ſubitoq́ue euaneſcentes, & non tantum ἄσωμα, ſed leuiſsimo momento abeuntia, quorum nonnunquam ne meminimus quidem, vitæ humanæ nos admonent, breuis & fragilis, & inconſtantiæ, cui quidquid ſub luna eſt, (quæ ipſa tertio quoque die varians, imò nulla nocte ſui ſimilis, faciem celerrime mutat, vt eſt apud Sophoclem in querela Menelai ſortem ſuam deplorantis) expoſitum eſt, & obnoxium rerum omnium, anima excepta: de qua imbecillitate haud ſcio, an quidquam dici poſsit contemtius illo pindari qui εἰδ. n. πυθιῶν Ariſtomenem Aeginetam παλαιςὴν, & victorem in iucundiſsima gratulatione ad ſui conditionem reuocat: ἐπάμεροι, τί δέ τις, τί δ᾽ οὔτις: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι: vmbra quid vilius, ſomno quid fugacius? Somnio de vmbra, numquid dici poteſt abiectius? Cum hoc conuenit illud ſophocleum: ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν εἴδωλ᾽, ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κουφὴν σκίαν. Huiuſmodi ſomnijs & idolis pares ſunt res humanæ omnes, quantumuis illuſtres, &, vt interdum videntur, ſplendidæ. Nam ſi verà iudicare volumus, vita humana ſplendida eſt miſeria. Qua de cauſa præclare Daphnis apud Theocritum in βαρισ: de ætate florida, μὴ καυχῶ. τάχα γάρ σε παρέρχεται, ὡς ὄναρ. ἥβη. Cum itaque haud abſimilia ſomnia ſint humana omnia, ne efferamur, ſi quid blanditur nobis fortuna, fluxam fidem gerens: quæque dum maximè ſplendet, maximè frangitur: Nec ſomno indulgeamus, ſed ad vitam ſecundum virtutem agendam ſummis viribus contendamus, & ſpe immortalitatis, vereq́ue & ſolidæ laudis in hoc curſu firmiter perſiſtamus.

VI. Immortalem autem eſſe animam (etenim gloria politica, quantumuis diuturna, honeſtis actionibus, & multo ſu-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

dore parta, aut longinquitate temporis obliterata interit, ſi careat vate ſacro, iuxta Horatium, aut cum fine mundi finem ipſa quoq; eſt habitura) imaginem ante oculos tibi proponunt ſomnia, de qua philoſophi diuerſimodè explicando, non tam explicarunt diſputationem, quam implicarunt. Videmus enim animam noſtram, quæ eſt radius de lumine cœleſti in nos trasfuſus, corpore quieſcente à ſuis, quas interdiu dum vigilat, ſubit, functionibus, nihilominus eſſe occupatam, & quidem multò impenſius, quam cum interdiu diſtrahitur, & per ea quæ animæ vix propria dici poſſunt, à ſuæ naturæ conuenientibus, auocatur: nihilq; minus eſſe ocioſam, quam cum ocioſa. Exequitur enim ſua munera nobiliſsima & admiratione digniſsima, planeque ſtupenda, ſi cum illis, quæ corporis adiumentis ſubleuata, efficit, conferas, & ea præſtat, quæ vigilante corpore præſtaret nunquam.

Quantò celerior erit, cum ſe curarum terrenarum occupationibus & his vinculis & carceribus exoluerit, aut etiam in reſurrectione Vniuerſali ad priſtinum, quod olim incoluit, domicilium redierit, corpori coniuncta, verum non ita tardo, inerti, plumbeo, & humi proſtrato, ſed ſic mutato, vt non cognoſcas idem eſſe, & adepto naturam animæ, id eſt, immortalitatem conſecuto. Tum verò lumen ſuum oſtendet, prodetq; originem ortus ſui non eſſe terreſtrem, ſedè cœlo: neque vilium inhærebit rerum contemplationi, ſed arduis ſe rebus dedet, ſublimibus, cæleſtibus & æternis.

VII. Prodet etiam ortum ſuum anima degener ſceleratorū, & immortalis erit, ſed conditione diſpari, perpetuo excrucianda & excarnificanda, ſine fine, ſine modo: Et ſentiunt quidem improbi dum in his terris viuunt, & corpus mortale circumferunt infandos ſcelerum morſus, & ſtimulos con-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ſcientiæ atroces, etiam cum dormiunt, & terriculamentis profecto non inanibus ſomniorum agitantur, vt extet teſtimonium euidens & manifeſtum prouidentiæ diuinæ, Eſſe Deum qui quæ nos gerimus, auditq; & videt, cordiumque intimos ſeceſſus ſcrutatur: qui reſpectum habet ad res humanas, eſtq; mens æterna animorum abditorum inſpectrix. Qui Deus præmia rependit rectè factis, & impios ad pænam trahit mirabili ratione, vt etiamſi inveniant prætextum & πρόφασιν, ſiue σχήμα πολιτικὸν, quo fucum faciant homini, qui cor non poteſt introſpicere, ſe tamen teſte, etiam in ſomnijs ſua facta, æqua lance ponderent & examinent, & metuant vindictam, ad eamque capiti ſuó iam iam incumbentem trepident & expaueſcant, & cum ſunt ſanabiles, à propoſito deterreantur: ni pareant, caſum factis dignum, ſomno denunciatum experiantur, ut ſuum ſibi, non Deo exitium imputēt: Contra bonis, ſiquid aduerſi & ſiniſtri portenditur, caſus aduentantes æquiore animo vt ferant, & ratione atque conſilio, quantum poſſunt, malo imminenti occurrant, & ſupra caput aſtans incommodum auerruncent, & amoliantur.

De Byblide diurnas cogitationes & conſilia, cupiditatesq; animo noctu verſante, Ouidius inquit, quod turpe facinus verita ſit committere, etiam inter dormiendum ſtateram timens cordi infixam, & diſcrimen honeſtorum atque turpium, pænamq; metuens ſcelerum:

*Spes tamen obſcænas animo demittere non eſt*
*Auſa ſuo vigilans, placida reſoluta quiete*
*Sæpe videt, quod amat: Viſa eſt quoq; iungere fratri.*
*Corpus, & erubuit, quamuis ſopita iaceret.*
*Et Byblis ipſa.*

*Me miſeram, tacite quid vult ſibi noctis imago*
*Quam nolim rata ſit.*

 Videt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Videt turpem eſſe ſorori cum fratre concubitum, librans diſcrimen honeſtorum & turpium, & ſecum ad amuſſim examinans, conſcientia teſte, admittere ſcelus veretur etiam in ſomnis. Quales enim curæ & actiones, interdiu animum exercent, talia excipiunt illam noctu ſomnia. Etenim qui ſceleribus gaudent, & fædarum libidinum, cupiditatumq́ꝫ lenocinijs ſe dediderunt, excuſſa reuerentia iuſti Dei, naturæ, honeſtatis, pietatis, dum dormiunt totas libidini habenas laxant, nihil aliud voluunt, cupiunt, gaudent, dolent, metuunt, exoptant, quàm vt cupiditatibus ſatisfaciant, In quam ſententiam.

Horatius lib. 1. Ser. ſaty. 5. obſcænè ſatis:

*Hic ego mendacem ſtultiſsimus vſque puellam*
*Ad mediam noctem expecto, ſomnus tamen aufert*
*Intentum veneri.*

Et quæ ſequuntur. Adeo enim indigna ſunt caſtis auribus, vt referre non libeat.

Et ſappho poëtria apud Ouidium:

*Nō veniunt in idem pudor atque amor, omne videbam*
*Vulgus, eram lacero pectus aperta ſinu.*
*Tu mihi cura Phaon, te ſomnia noſtra reducunt,*
*Somnia formoſa candidiora die.*
*Illic te inuenio, quanquam regionibus abſis*
*Sed non longa ſatis gaudia ſomnus habet.*

Eſt poſt pauca:

*Vlteriora pudet narrare, ſed omnia fiunt,*
*Et iuuat, & ſine te non licet eſſe mihi.*

Ac ij quoque, quos interdiu ardor irarum, metus, invidia, libido, auaricia, & cætera cuiusmodi illa ſint vicia extimulant, niſi omninò humana natura exuta, frontem perfricuerunt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

erunt, faſcinati planè affectuum, rapidiſsimorum guberna-torum imperio, & diaboli ductu, reprimunt nonnihil interdiu ſeſe, & clandeſtina diſsimulant incendia: verum in ſomnis quibus legem putant ſe tenere nullam, nec iudicia hominum & famam ſiniſtram metuunt, teſtibus remotis, tum vero ſepta verecundiæ, & honeſtatis impudenter tranſgrediuntur, & diuina humana pariter nihil penſi habent.

At quæ anima ſemina habet generoſiora, corporisq́ quod eſt οὐκ ἐπιεικὴς ξύνοικος, vt inquit apud Arrianum Dandamis Sophiſtarum Indicorum princeps, καὶ οὐκ ἀσινὴς πάροικος, vt de diuitijs ſine virtute loquitur Sappho poëtria, tarditate & pondere minus impeditur, ſomnia etiam habet generoſiora & diuiniora, apertioraq́ & ſignificantiora, ſi ad naturam nobilem, & non diſtortam, acceſsit inſtitutio recta, & ad virtutem aſſuefactio: è quibus enaſcitur animi tranquillitas. Quare Zenonis illud Eleatæ acutè & prudenter dictum celebratur, (quod ſupra retulimus) qui, quantum quiſque in philoſophia profeciſſet, è ſomniorum qualitate, manifeſtum fieri dixit, ſi nil gaudeat, aut doleat, cupiat, metuatûe, aut nefariè faciat. Tum enim animus placidus & in quiete conſtans, veros philoſophiæ fructus prodit: cuius omnis ſumma ad bene beateq́ viuendum refertur: quæ eſt doloris medicina, animi cultura, dux vitæ, virtutis indagatrix, vitiorum expultrix, armata aduerſus omnes fortunæ impetus, & auerſam à recta ratione contra naturam animi commotionē, ne à naturæ conſtantia diſcedat, non ex fortuna pendens, ſed ex ſeſe tota: In philoſophia igitur benè inſtitutorum, ſomnia ſunt tranquilla, ſedata, euidentia. Qualis enim eſt inſtitutio, talis vita & mores: Vt vita & mores ſunt, ita quiſque concipit intra pectora pro facto ſpemq́ metumq́ ſuo. Et ſomnia ad affectus animorum, ſeſe componunt.

De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

De Herculo Furente Senaca in Tragædia, eiuſdem inſcriptionis:

*En fuſus humi ſæua feroci*
*Corde volutat ſomnia: nondum eſt*
*Tanti peſtis ſuperata mali*
*Clauæq́ graui laſſum ſolitus*
*Mãdare caput, quærit vacua*
*Pondera dextra, motu iactant*
*Brachia vano: nec adhuc omnes*
*Expulit æſtus, ſed vt ingenti*
*Vexata notho ſeruat longos*
*Vnda tumultus: & iam vento*
*Ceſſante tumet.*

Etenim Hercules infernali Furia incenſus, ſcelere Iunonis & in furorem verſus, tela in filios & vxores iacit. Hæc vera ſunt ſpectra, quæ nec dormientes ſinunt quieſcere: ſua ſcilicet cuiuſque fraus ſuum cuiuſque ſcelus: hæ ſunt furiæ, animus maleficij conſcius, ſibi ipſi malum ominans, quæ fugientes perſequuntur, gradum verò fixuros, nuſquam conſiſtere patiuntur. Hos ſtimulos, hos aculeos, quovis carnifice triſtiores, quibuſvis tormentis atrociores, mentibus ſceleratorum, iuſtus rerum arbiter Deus infixit, ut tum minus quieſcant, cum quiete maximè indigent, conſcientia ream animam excruciante, & tormenta denunciante, Illuſtri de providentia & iuſticia divina propoſito argumento, quo ſcelerum, abſq; teſte admiſſorum, mens convincitur: & qui alios homines non metuit, is ſui ipſius conſpectu tenetur & trepidat.

VII. Providentiæ et Iuſticiæ divinæ argumentum.

Quid

Quid enim tanto horrore perfundit Pauſaniam, interfecta virgine Byzantina, quam reluctantibus parentibus ad ſtuprum rapuerat? Conſcientiæ morſus & iudicium, quo, ordine diuinitus ſancito, rectè facta probamus, malefacta ipſimet damnamus, occinuit illi στεῖχε δίκης ἆσσον. Quid in tantum conſternationis adduxit Baſsianum Caracallam, eicꝫ eſt cædem minitatum, niſi parricidium immane in fratrem Getam commiſſum? Rapit diuina Nemeſis, & Adraſtia, homini nonnunquam ignota, ad ſupplicium maleficos tacitum, quod quidem, vt corporis cruciatus exuperat omnes, ita in ſomno, dum quieſcunt ſenſus exteriores, eſt atrociſsimum, & longè vehementius torquet pœnis, quàm quas aut Cæditius grauis exigit, aut Rhadamantus. Hæ ſunt Eumenides, hæ furiæ, in ijs quos mens facti diri conſcia affligit, die & nocte. Nam de eiuſmodi conſcientiæ ſtimulis, poëta quidam recentior: Soporem ſi forte indulſit cura, ingruit horror ab orco. Et de Pauſania: Hinc ſomno aſsiduè Spartanum excuſsit in vmbris oſſea forma, manus gelidas in lumina tendens.

Quemadmodum autem hactenus oſtendimus, conſcientiam, ſi vnquam aliàs, tum in ſomno eſſe tenerrimam, & reſpectum habere Deum ad res humanas, eascꝫ ſuo nutu gubernare, & eſſe immortalem animam noſtram, cum à corpore ſeceſſerit, nec abire in auras euanidam. Ita haud ſcio, an imago ſit pulchrior, quâm agitatio iſta animæ dormientium, qua cognoſcatur, qui ſit ſtatus animarũ poſt hanc ἀνάλυσιν. Vt enim ſomnus, qui eſt παυστὴρ τῶν πόνων, quod epitheton ex Alexide Comico retulit Athenæus lib. 10. feriari facit corpus à laboribus externis: ita anima contra excitatior eſt, & ad obeundes ſui muneris actiones alacrior. Et haud ſecus, ac animus eorum, qui affectuum tumultibus interdiu concitantur, aut crapula, nimiaúe potus cibicꝫ affluentia onerantur, IX.

In ſomnijs imago ſtatus animarum: quæ a corporibus diſceſſerunt.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

non modo non placide dormiunt, ſed toto ſeſe lecto conuoluunt, pedes contrahunt, mox eoſdem exporrigunt, caput nunc in hanc, nunc in illam partem iactitant, geſtusq; edunt mirificos: ſubito interdum terrore ſtrato corripiunt corpus, deſanitate mentis deturbato ſimiles.

Eodem modo, quorum Deus in terris venter fuit, quique mammonæ & opib. ſtuduerunt, nec, niſi corpus, aliud curarunt, & cuticulam, qualis Sardanapalus, Epulo diues, Lucæ xvi. qui, nixi opum affluentia in his terrenis & perituris, quæ vel nos deſerunt, vel à nobis deſeruntur, ſibi ſoli vixerunt, ſibi mortui ſunt: qui cupiditatum & libidinum frena laxantes, quiduis ſibi licere ſunt arbitrati: In ſepulchris dormiunt quidem, ſed inquietè ſanè dormiunt, comitantibus ipſos ſuis factis: animis anguntur, & nil niſi horrenda, tetra, dira ſomniant. Non eſt enim impijs quies, ſed ſentiunt & experiuntur flammarum æternarum cruciatum, vermem conſcientiæ nullo ſeculo intermoriturum, & opprobrium coram omni carne, nec vlli profuerit aniſum, quo ſuſpēſo in puluino, vt dormientes olfaciant inſomnia leuari ſcribit Plinius lib. 20. cap. 17. terrena inuiti relinquunt, cum gemitu diſcedunt, cum dolore dormiunt, donec reſuſcitabuntur (non enim non vocabuntur ad tribunal iuſti iudicis, etiam impij, non obſtante interpretatione Origenis, qua ex illo pſalmi 1. Non conſiſtent impij in iudicio, infert, eos non reſurrecturos: Reſurgent enim, ſed ſuam cauſam iuſto iudici intima rimanti, non probabunt) Reſuſcitabuntur autem ad dedecus & ad ignominiam non delendam, & nunquam eluendam.

At ij, qui in Domino moriuntur beatè, nixi Dei miſericordia, deque ipſius ſolius gratia pendentes, cum vitæ accedit terminus, rebus humanis exempti, quas pro nihilo duxerunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

xerunt, ac potius pro σκυβάλοις, hoc σκήνωμα tranquillo animo & ſponte, & hanc carnis ſarcinam, ad Imperium Dei volentes deponunt, & quaſi leui obrepente ſomno in cubiculum ſuum ingrediuntur, anima colligata in faſciculo viuentium (vt præcari conſueuere Iudæi defunctis, & vt Abigael loquitur, ſumpta de gynæceo loquendi conſuetudine, in quo veſtium ſarcinas colligunt) & requieſcente in throno gloriæ & maieſtatis, teſte Eſaia. nec vllis inquietantur ſomniorum terriculamentis, ſed ſomnia vident iucunda & amœna conuenientiaq́ cum meditationibus, quibus dum viuerent, piè indulgebant, & tranſacto modico, breui reſuſcitandi, expectant diem Reſtitutionis in integrum, exuuijs ſepoſitis, peccatorum fœditate contaminatis, & ad dignitates priſtinas, & integritatem, qua fraude antiqui ſerpentis exciderant, rurſus euehentur.

Interea verò dum lux illa fauſtiſsima omnium & clariſſima exoriatur, placidiſsimè quieſcunt: Quod affirmaſſe videtur Satyricus, ſed obſcurè precatus Maiorum (Qui præceptores chari voluere parentis eſſe loco) vmbris tenuem & ſine pondere terram, ſpirantesq́ crocos & in vrna perpetuum ver.

Adhæc dextrè in hac parte eruditi, à conſtantia mentis non ita leuiter deturbantur, ſi quid durius aut triſtius portendere videantur ſomnia, nec à tranquillitate animi ſe abduci patiuntur: Quandoquidem non neſciunt, multa quantumuis acerba, aut leniri poſſe, aut mitigari pijs precibus, vera ratione, maturo conſilio, moderatione actionum. Quod ſi quid moleſtius incidit, minus doloris & perturbationis affert; ſiquidem tela præuiſa minus nocent, paratiorque fit animus ad ſubeunda ea, & mollius atque X.

æquius ferenda, quæ vitari nullo pacto poſſunt: Quæ verò mutabilia ſunt, an non ſatis fructus cæperis & vtilitatis è ſomnijs, ſi arte malis incumbentibus poſsis occurrere, & curſu mutato, aliò flectas vela, ſi id, quod conſtituiſti, tuis rationibus non fuerit commodum?

Quod ſi quis Cato durus & auſterus hic obiecerit, nimis ampla & fide maiora dici de hac diſputatione, neque fieri poſſe, vt norma ſint conſiliorum noſtrorum ſomnia: Is ſic habeat, Non conſtitui hanc à nobis actionum noſtrarum & deliberationum normam: Eſt enim omnium quæcunq; agimus, ſuſcipimus, conſultamus, Gnomon, religioſa in Deum pietas, ex verbo, per Spiritum ſanctum, qui locutus eſt per Prophetas cœlitus patefacto, hauſta, non aliunde: Deinde ſanæ rationis iudicium, congruens cum ijs, quas ex ipſa natura accepimus, & arripuimus noticijs: aut ſi quid dubij & obſcuri in his eſt, ſæpe enim ab affectibus, rationis iudicium obruitur, lex diuinitus patefacta: Nihilominus ſunt occaſio multarum actionũ et conſiliorum in actum producendorũ, vel etiam mutandi propoſiti, rerumq; futurarum præſagia.

Nam calamitates ſomnia tum hominibus priuatis, ἴδια, tum genti, nationi, prouinciæ, vrbi minitantur δημόσια: à cædibus & maleficijs, ante oculos ponendo mala, quibus ſontes implicantur, arcent: vitæ terminum, interitum liberorũ, occaſum cognatorum, mortem amicorum denunciant, victoriæ ſpem faciunt, ab irrito cõnatu, & votis immodicis, ſucceſſuq; carituris dehortantur: prædicunt amiſsionem potentiæ, dignitatum, fortunarum, exercituum: amplitudinem ſobolis, claritatem, honores: exprobrant libidinum intemperantiam: pænas intentant periuris in patriam, parricidis tyrannis, prophanatoribus religionis, hoſtibus Eccleſiæ. rationem monſtrant effugiendi pericula, inſidias, molitiones,

fraus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

fraudulentas: ſpem inijciunt reditus, & fortunæ melioris: vni deferunt imperium, alij victorias, & pacem victis hoſtibus: Et, cum ſint mirabiles rerum humanarum viciſsitudines, nec quicquam ſub ſole diuturnum aut ſtabile, huic ventura depingendo, expectationem mouent regni, illi eandem adimunt: huic felicitatem decernunt & honorum faſtigium, illi difficultates ineluctabiles, & oppreſsionem: ad virtutem inflammant, morbos, ſubmerſiones, calumnias, vrbium incrementa, caſus, euerſiones, fœdera prænunciant. Hæc arrogantes vt dici videri poſsit, ita ſe habere euentus, & exempla hiſtoriarum, cùm ſacrarũ (de quibus dubij hæſitationisq́ nihil eſt, ſiquidem omni exceptione maiora ſunt) tùm prophanarum oſtendunt.

Vt vero in pauca contrahamus, quæ diſſeruimus prolixius, caput diſputationis noſtræ eſt, ſicut vir prudens, ingenij ſolertia, & diurni temporis experientia, à curis, & cogitationibus futilibus animum auocans, & à perturbationibus affectuum vehementiorum vacuus, ſeipſum veluti intuens & contemplans, dextre iudicat præſentia, & futura proſpicit: Ita animam, corporis impedimentis laxatam, rectius fert iudicium, & plurima longè ante quàm eueniunt, videt, nũquam cogitata, nunquam ſenſibus oblata, peculiaris naturæ proprietate, vires ſuas coniungentibus viribus æthereis: quia omnium rerum (Deo excepto) nobiliſsima, opera quoque edit ortu ſuo digna.

Caput huius diſputationis.

Neque expertem eſſe vtilitatis hanc qualemcunq́ rei, vt exiſtimari poſsit, leuiuſculæ conſiderationem, ſed ſubiectionibus refertam vtiliſsimis de Iuſticia Dei, & reſpectu eiuſdem ad res humanas, de conſcientiæ læſæ cruciatibus, nec in ſomno quietem capientis, de pœnis ſcelerum, de animæ



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

intelligentis immortalitate, qua ad Deum proximè accedimus, ad eius ſimilitudinem creati, & rerum futurarum præſenſione, quæ eſt naturæ diuinæ peculiaris: de ſtatu animarum, poſtquam à corpore diſceſſerint, aut quiete tranquilla gauiſurarum, aut anxio metu & terrore excruciandarum: Id quod infra manifeſtius exemplis pluribus demonſtrabitur.

Ne verò, quibus ſomnijs ſit tribuenda fides, ſit ignotum, haud enim adeo ſumus temerarij, vt approbemus omnia, ne in ſuperſtitiones curioſas prolabamur: quò diuina à diabolicis, conceſſa ab illicitis diſtinguantur, repetenda viſitata videtur diſtinctio: Quia verò notæ ſunt rerum vocabula, appellationes, quibus de diuerſis ſomnijs alij atq; alij ſunt vſi autores, præmittemus.

## Caput III.

### *Definitio & explicatio appellationum.*

ARtemidorus Daldianus (ab oppido enim Lydiæ, obſcuri nominis, vnde maternum genus ducebat, θρεπτήρια ei redditurus, & famam conciliaturus, Daldianus dici voluit, cum eſſet Epheſi ortus, vrbe per ſe illuſtri & nobili) ſomnij definitionem hanc habet, lib. 1. c. 2. ὀνειροκριτικῶν: ὄνειρός ἐστι κίνησις ἢ πλάσις ψυχῆς πολυσχήμων, σημαντικὴ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ

Definitio. κακῶν: Somnium eſt motus ſiue figmentum & imaginatio animæ multiformis, ſignificatrix futurorum bonorum aut malorum.

Ariſtoteles verò, quod ἐνύπνιον ſit φάντασμα τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν αἰσθημάτων, ὅταν ἐν τῷ καθεύδειν ᾖ ᾗ καθεύδει.

Quibus definitionibus ille τὰ ἀσήμαντα ὀνείρατα excludit, quod in virum grauem non cadant, neque aliam imaginationem à ratione diſcrepantem, cenſet admittendam: Id quàm bene,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

bene, ipſe viderit, nemo enim eſt adeo omnibus numeris abſolutus, vt non videat aliquid ſomniorum, nihil ſignificantium: Hic verò de ijs præcipuè agit, quorũ initium ſunt & cauſa actiones & obiecta, cõſiliaq; diurna noctu recurſantia.

Appellationes autem fere ſunt: ὄνειρος ὁ θεός, καὶ τὸ δι' αὐτοῦ θέαμα, vt Heſychius: eſt ὄψις αἰνιγματώδης, ſpecies per ambages obſcure rem futuram denotans, & ſub formis alijs veritatem aperit, eſtq; efficacitas poſt ſomnium eueniens in bonum aut malum: quaſi τὸ ὂν εἴρων, quia certum quid prædicit: Nonnullis dici placet, ab ὀνέω ἔρων, quod moris eſſet apud veteres, vt notis proſequerentur narrantes viſa nocturna, ne quid eis accideret aduerſi, alijs, quod ſuggerat vtilia. Cum itaq; tegatur ambagibus & inuolucris, interpretem requirit ſagacem, Tale erat ſomnium Hecubæ, Maiæ, Primiſlai, Traiani, Adriani. Appellationes. Quibuſdam quaſi ὀρίνωρ τὴν ψυχήν.

ἐνύπνιον τῶν μεθημερινῶν φροντίδων ἀπήχημα, prouenit enim à curis vigilantium, ijsq; reſpondet, eſtq; actionum præſentium aut nõ ita diu p̃teritarũ veſtigiũ, relictũ ab affectione corporis, animæ, vtriusq;, reditq; eadẽ ſpecie, animo curis oppreſſo, qua antea obuenerat.

φάντασμα μορφὴ ἐσὶ ἀλλόκοτος ſpecies abſurda, & diſtorta, in qua nec pes nec caput vni reddũtur formæ: Secundũ aliquos ſpecies eſt rerũ per φαντασίαν cõcepta, referẽs ſimilitudinẽ ſpecierũ externè ſenſibiliũ. Heſychius: φαντασία τὸ μὴ ὂν ἀληθὲς, ἀλλὰ τὸ σχήματι.

ὅραμα, nihil tectum habet, nihil figuratum, aut ænigmaticũ: ſed aperta ſõnia, Res enim dormienti ita offertur, eodẽq; modo, quo poſtea euenit, euentu & ratione rei gerendæ expreſſe animo obuerſante, vnde ὅραμα definiũt ἐυθυόνειρον: & hinc ἐυθυόνειροι ſunt, non tã qui accurate in interpretãdis ſomnijs ſcopũ attingũt, q̃ qui directa habẽt & euidẽtia ſomnia χρηματισμὸς oraculo eſt maximè cognatus, eoq; dũtaxat differt, ꝙ ille dormientibus datur à Deo, rege, parentibus & ſi qui alij ſunt

in di-

in dignitatis eminentia conſtituti, quibus, Dei vicem in terris ſuſtinentibus, Dei nomen tribuitur: Hoc verò vigilantibus ventura reſpondet. Ob perſonarumq́ autoritatem ſomnium nominatur Diuinum.

ὄψις generaliter eſt quodcunque viſum & ſpecies dormienti occurrens, tametſi Orpheus facit σημαντικὴν adiecto autem epitheto ὄψις ὀνειρήεσσα κακῶν ἐξάγγελος ἔργων: Sic φάσματα ὀνείρου Muſæus: ἄφαρ ἡρώεσσιν ὀνείρου φάσματα πᾶσιν ἔνισπε. Sic cæteris appellationibus promiſcuè vtuntur poëtæ.

Theoc. ἁλιεῦ: ἆρ᾽ ἔμαθες κρίνειν ποκ᾽ ἐνύπνια, χρῆσά γὰρ εἶδον, οὐ σὲ θέλω τῶ μῶ φαντάσματος ἦμεν ἄμοιρον.

Et in Europa: τίς μοι τοιάδε φάσματ᾽ ἐπουρανίων προΐηλε. Idem poeta νυκτὸς ὄψιν appellat, ea ratione, qua ſpeciem quietis poeta latinus, & nocturnas imagines, viſa quietis, imaginem ſomni. Ita enim Theocritus: λέγε μοι ποτὲ νυκτὸς ὄψιν πάντα τέως δέ λέγων μήνυσον ἑταίρῳ.

Idemque: ἤδη μύρι ὀνείρατα, κοὐδέπω ἠώς. etc. Et ὡς καὶ τὴν ἀγρὰν τὠνείρατα πάντα μέριζεν.

Et in Alcmena: παλίγκοτον ὄψιν ἰδοῦσα. De vxore Herculis Megara: τοῖα φίλη μοι ὄνειρα διὰ φρένας ἐπτοίησαν παννυχίη.

τῷ ὀνείρῳ καὶ τῷ φανταζομένῳ ὕπαρ ἀντίκειται, τὸ ὄντως ὑπάρχον, non viſum aut ſpectrum, ſed res vera, quæ vigilantium ſenſibus apprehenditur. Heſych. verò ὕπαρ τὸ μεθ᾽ ἡμέραν ὄναρ ἐν ἡμέρα: οἷον φανερῶς, ἐναργῶς, ἀληθές.

Theocr: in Europa, (quam tamen alij huius eſſe negāt.) τῶ γὰρ ὡς ὕπαρ εἶδεν ὄνειρον.

Et Δ τ. οὐκ ὄναρ, ἀλλ᾽ ὕπαρ ἐσθλόν, ὅ τοι τετελεσμένον ἔσται Et Plat. VII. Libro de Repub. οὕτω ὕπαρ ἡμῖν καὶ ὑμῖν ἡ πόλις οἰκήσεται, ἀλλ᾽ οὐκ ὄναρ.

ὄναρ, neq́; enim id omittendum, ὁ ὄνειρος, καὶ ἡ δι᾽ ὀνείρου ἀποκατάληψις. Homerus Ili. α καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν: quam appellationem. ſunt, qui propriè referunt ad ſomnia θεῖα καὶ μαντικά, qui ſunt θεῖοι ὄνειροι, vt Homer.

κλῦτε

κλῦτε φίλοι θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος.

Artem ipſam interpretandi ſomnia, (fecerunt enim certam eius diſciplinam) τὴν διὰ ὀνείρων μαντικὴν dixerunt, & ὀνειρολογίαν diſputationem de ſomnijs. Eos verò, qui profiterentur ſe tenere rationem & ſcientiam explanandi eas imagines & ſimulacra, quæ dormientium mentibus ſe ingerunt ὀνειροπόλους vocant, τοὺς διὰ ὀνείρων μαντευομένους, genere diuinationis veterum diſtributo in tres ſpecies, in auguria, ſeu obſeruationē volucrum, obſeruationem conſtitutionis mutationisq́ aëris, & Somnia. Homerus Ili. α.

ὀνειρολογία.

ὀνειροπόλοι.

ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα.

ἢ καὶ ὀνειροπόλον: Eſtq́ ὀνειροπολεῖν ſomniare: & ὀνειροπολεῖν ἵππους, ὡς ἐν ὀνείρῳ βλέπειν, ἢ ὡς ἐν ὕπνῳ φαντάζεσθαι. Hinc ὀνειροπόλοι ὁ περὶ τοὺς ἰδίους ὀνείρους πολούμενος, καὶ διὰ τούτων τοὺς πέλας μαντευόμενος, ἢ ὁ κρίνων αὐτούς: Et quia eiuſmodi interpretum neceſſe eſt eſſe iudicium exquiſitum, ὀνειροκρίται appellantur: Theoc. οὗτος ἄριστος ἐστὶν ὀνειροκρίτας, ὁ διδάσκαλος ἐστὶν παρ᾽ ᾧ νοῦς. Nominati ijdem ὑποκριταὶ τῶν ὀνείρων, à quo ὑποκρίνειν τοὺς ὀνείρους, Penelope ad Vlyſſem ἀλλ᾽ ἄγε μοὶ τὸν ὄνειρον ὑποκρίναι καὶ ἄκουσον ὥς μοι κρίνωσ ὀνείρους, in Hecuba Euryp. vocantur & ὀνειροθέται, ὀνειροκριτικοὶ, ὀνειρομάντεις: ὀνειροκριτικὰ libri continentes explicationem viſorum per ſomnia, quales ſunt Artemidori: Ex eodem fonte promanāt ὀνειρόπληκτος ὀνειροπληγώς, ἢ ὀνειροκρίτης: Præterea prouerbiales loquendi formæ: τέρψις ὀνειρώδης, de voluptate celerrimè euaneſcente, ἐν περ ὀνείρῳ, Penelope inquit apud Homerum, promittens ſe nunquam Vlyſsis abiecturam memoriam, vel in ſomnio ſe oblaturi. οὐδ᾽ ἐν ὀνείρῳ, de ijs quæ fidem excedentia non creduntur: quod &, οὐδ᾽, ὄναρ h. eſt. κατ᾽ ὄναρ. ὅσα, ἐν ὀνείροις φέρειν, περιουσίας ἀφθόνου, τοιαῦται γὰρ ὀνειροκριτικαὶ φαντασίαι. Homer. οὐδ᾽, εἰ μοὶ τόσα δοίη, ὅσα ψεύδονται ὄνειροι, τουτέσι, εἰ ἔχω τόσα, ὅσα οἱ ὄνειροι πλάττουσι: τοῦτο δὲ φησί, διὰ τὸ πολύ. τῶν γὰρ ὀνείρων ἡ φαντασία δαψιλής, vt interpres Theocr. Menalc. νόμ. ἔχω σὲ τοῖος, ἐν ὀνείρῳ.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

φαίνονται, πόλλας μὲν οἶς, πολλὰς δὲ χιμάιρας.

Idē autor ſomnia aurea, de amplis ſed inanibus μὴ σὺ θάνατος λιμῷ κἄμ τοι χρυσοῖσιν ὀνείροις Et ſomnio beatū dicit Cicero, Arguens Salluſtiū rapinarū, qui cū domū paternā vēditā, viuo patre redimere nō potuiſſet, tāquā ſomnio beatus hortos preciosiſsimos, villā Tiburti C. Cæſaris, reliquas poſſeſsiones parauerit. Dicuntq; Græci ὅτι ἀναπτεροῦσι τοὺς ἄφρονας τἀνύπνια, quaſi pennis efferri ſublimes in ſomnijs ſtolidos, vanā ſpē ſibi ipſis facientes. Huius originis ſunt, ὄναρ ἰδεῖν. ὄναρ δοκεῖν ἰδεῖν, ὄψιν ὀνείρου ἰδεῖν. ὄναρ φανῆναι. Ἀιρεσθαι δείμασι terriculamētis nocturnis excitari: ἐνυπνιάζειν & πολλὰ ἐνυπνιάζεσθαι, ὀνειρώττειν, ὑπνώττειν. Hæc etſi Grammatica ſunt, &, vt videntur, è triuio petita, tamen liberali cognitione non ſunt indigna.

## Caput IIII.

*Inuentores interpretationum è ſomnijs.*

Ratio captandū ſomnia apud ethnicos.

HVius autem diſciplinæ autores Gregorius facit Telmiſſenſes, quæ vrbs Telmiſſus in finibus fuit Cariæ & Lyciæ: ſiue gens ſecundum Heſychium τελμισεῖς, ἔθνος περὶ λυκίαν: à Telmiſſo vrbis conditore, Apollinis filio, τερατωσκόπω. Plinius lib. 7. c. 56. Amphictyonē ſomniorū & oſtētorū interpretationē inueniſſe ſcribit, quē Iuſtinus Amphitryonē appellat, Cranai generū. Quidā Amphiaraū, regē Argiuorū, Oielis filiū, ex Hyperneſtra, comitē Iaſonis in expeditione in Colchidē Argonautica, qui cū in ſōnijs cōiectādis imprimis ſolers haberetur, & ex his rationē diuinādi mōſtraret, in numerū eſt Diuorū relatus. Huius oraculū floruiſſe tēporibꝰ medicis, aſtruit Plutarchus, de Defectu Oracul. pꝛæteris autem coluerunt cum Oropij (quod oppidū Melitæ vicinū in conuinio Bœotiæ, vt Plini. lib. 4. c. 7. qui eiuſdē quoq; meminit lib. 35. c. 13. nobilitatū eſt ortu Antiochi Macedonis patris Seleuci I. Nicatoris, regis Aſiæ & Syriæ) tanta religione, vt ſepulchrū ipſius in tēplū cōuerterēt, inq; eo, ariete cæſo, huius pellē ſubſternētes, viſa nocturna captarent: Ad eundē Amphiaraū cō

deco-

decorandum, græca gens ſummo ſtudio incubuit, locum, in quo humatus eſt, in formam conditionemq́ templi redigendo: eius cineres idem honoris poſsident, quod Pythicæ cortinæ, quod Aheno Dodonæo, quod Hammonis fronti datur, vt ſcribit Valer. Max. lib. 8. cap. 16.

Hunc ſecuti ſunt alij populi, ex innata procliuitate, deductaq́ à primis parentibus, cupiditate affectandi immortalitatem, & diuinando opinionem diuinitatis. Cum enim viderent, euenire non pauca ita vt in ſomno præuiſa fuerãt, neque dubium erat, quin humana ratio ſua natura aliquid præuidere: (diuina ſemper excipio, quæ mentis humanæ ſagacitati minimè ſubiacent, & non niſi peculiari ſpiritus Sancti inſtinctu et nutu cognoſcuntur) omnia præſentiri opinati ſunt, nec irrita eſſe vlla ſomnia. Hinc tantopere creuerunt artes impiæ, & ſudatum eſt vehementer, vt ſors ventura, qualiſcumq́ ea foret, præuideretur, quo vel auerteretur malum immmens, ratione & conſilio: vel animus præpararetur ad amplectendum bonum præuiſum & expectatum.

Eo verò proceſsit hominum temeraria audacia, vt ſcientiam huius artis perfectam ſibi vendicaret, exortiq́ ſunt tot interpretes, Bileamus apud Syros, Ioſephus Iudæus, Aſtyphilus Poſidoniates, Theocritus, Ariſtãder, Procul9, Simõ Eſſæ9: De ſomnijs ſcripſiſſe perhibẽtur Mithridates, vt Plutarchus in Põpeio: Panyſis, Euclides Phliaſius vates, de quorũ poſtremo Xenophon 7. Ἀναβάσ: Ἀπαντᾷ τῷ Ξενοφῶντι Εὐκλείδης μάντις φλιάσιος, κλεαγόρου υἱός, τοῦ τὰ ἐνύπνια ἐν λυκείῳ γεγραφότος. Cumulata ſunt ſacra. Nã Deliades mulieres cũ Deæ ſacrificant, q́ vatẽ ſomniorũ βριζῶ vocãt, quæ eſt ἡ ἐνυπνιομάντις vnde βριζομάντεις inſomniorũ interpretes, id eſt, ἐνυπνιομάντεις Heſychio (βρίζειν enim veteribus dormire ſignificauit, & quidem propriè dormire cum cibi moleſtia, atq́ etiam negligere, Ili. γ, ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον hoc eſt, νυστάζοντα καὶ ἠρεμοῦντα, ἐξ οὗ ἀμελοῦντα, βρίζαι γὰρ κυρίως ἐστὶ μετὰ βάρους τροφῆς ἀπονυστάξαι, inquit interpres)


ſcaphas

ſcaphas rerum omnium copia refertas obtulerunt, piſcibus exceptis, pro nauium incolumnitate, quemadmodum ſcriptũ reliquit Athenæus lib. 8. c. 3.

De gente Latina ex omnibus Italiæ populis antiquiſſima & αὐτόχθονι, vt quidam, poëta Latinus in eo Opere, quo Italiæ & Romanorum res geſtas deſcribit.

*Oracula Fauni.*

*Fatidici genitoris adit, lucosq́ ſub alta*
*Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacro*
*Fonte ſonat, ſæuamq́ exhalat opaca mephitim.*
*Hinc Italæ gentes, omnisq́ Oenotria tellus*
*In dubÿs reſponſa petunt: huc dona ſacerdos*
*Cum tulit, & Cæſarum ouium ſub nocte ſilenti*
*Pellibus incubuit ſtratis, ſomnosq́ petiuit*
*Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,*
*Et varias audit voces, fruiturq́ Deorum*
*Colloquio, atq́ imis Acheronta affatur Auernis.*
*Hic & tum pater ipſe petens reſponſa, Latinus*
*Centum lanigeras mactabat rite bidentes*
*Atque harum effultus tergo, ſtratuſque iacebat*
*Velleribus.*

Fuit hoc oraculum Fauni in Albunea Laurentinorum ſylua: cuius nominis etiam mons fuit, fuit & fontis, de cuius aqua Silius lib. XII.

Et in hoc luco, aquæ vicino, ſupra pelles ouillas dormientes, ſomnia Latini expectabant.

De græcis Plutarchus in Agide & Cleomene ſic habet: Accidit, vni Ephororum in Paſiphaës dormienti, vt ſomnum videret, admiratione dignum, viſa enim fuit eo loco

quo

quo conſultantes Ephori conſidere conſueuerant, vna ſolum ſella poſita, quatuor ſublatis, & admirante illo, vox è templo edi, Vrbi Spartæ id eſſe conſultius. In hoc Paſiphaës templo aucupabantur ſomnia græci, ſicut in luco Tiburtino Latini: & in templo Inûs iÿdem Lacedæmoniÿ. Fuiſſe autem vna Atlantidum perhibetur Paſiphaë, Ioue natarum, mater Ammonis: ſecundum alios Caſſandra Priami filia, quæ, quód ſe conſulentibus oracula redderet, παρὰ τὸ πᾶσι φάινειν τὰ μαντεῖα dicta eſt, ex ſententia Plutarchi in Agide: Aliÿs Daphne eſt Amyclæ filia: cuius tum fanũ tũ oraculum fuit Thalamis, ſiue Thalamiÿs vrbe Laconicæ: Sed his omiſsis, venio ad alia.

In templo Aeſculapiÿ apud Epidaurios, & in Pergamo, morbo affecti vera ſomnia videre ſoliti, curati feruntur: item furore correpti. Sanati pilas ponebant nominibus ſuis inſculptis, & modo curationis: Vnde Cic. 2. De Diuinatio: An Aeſculapius, An Serapis poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non poſsit? De Antonino Caracalla, quem & Tarantē vocarunt, parricida, qui Geta fratre immaniter ſublato, in rabiem verſus fuerat, & ſimulacra patris & commodi manes elicuerat, cum triſtibus horrendisq; viſis exagitaretur, audiretq; hoc: σεῖχε δίκης ἆσσον, ſcribitur fuiſſe eum ſanatum ſomnio in templo Aeſculapiÿ. Idq; vocarunt τὴν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐγκοίμησιν nonnulli & quidē aliÿ dormierunt iuxta ſepulchra, aliÿ in ipſis ſepulchris, venati vaticinia, vt de Ariſtotelis ſepulchro fertur. Cardanus capiti ſuppoſuit vitas patrum, qui liber, ſi deſit, ſubſtituendum ſuadet nouum teſtamentum.

Iſidis iuſſo qui obtemperarent, omnis generis morbis laborantes curabantur. Eadem Orum filium inſidioſe interemptum, & in aquis repertum, luci reſtituit, & immortalem fecit.

Parentes Nicolai Tollentinatis, qui ſub Eugenio IIII.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

in Diuos relatus eſt, Ordinis S. Auguſtini, oraculo admoniti, voti cauſa Barium, ad Diui Nicolai conditorium profecti, cum venerabundi dormirent, ſpe prolis, quam antea nonnullam conceperant, ſunt confirmati.

Apud Plutarch. de def. Ora. Demetrius de Mopſi operto & oraculo in Cilicia, inquit, quod Ciliciæ præſes homo impius, et Dei negligens atq; dubi9, more Epicureorum, quos habebat familiares, libertum in hoſtiles terras ſpeculatoris ornatu miſerit, cum obſignata tubella, in qua quæſtionem, de qua doceri volebat, inſcripſerat, nemine conſcio is in delubro cum obdormiuiſſet, nuſquam illuxit huiusmodi ſonium narrauit, viſum ſibi hominem formoſum, qui tantum locutus, Nigrum, ſubito diſceſſerit. Præſes tabellam venerabundus reſignat, & ita ſcriptam interrogationem oſtendit. Vtrum tibi candidum, an nigrum bouem immolabo.

Numa ſucceſſor Romuli, primus qui legibus vrbem Fundauit Curibus paruis & paupere terra Miſſus in imperium magnum, vt canit poëta, quo maiore eſſet veneratione, & impenſius à populo coleretur, omnium vanitatum auctor, vt inquit Lactantius, qui maximè animos rudes atque imperitos, nouis ſuperſtitionibus implicauit, ſimulabat nocturnos cum Aegeriæ fontis nympha, Romæ extra portam Capenam in luco Camænarum, nemoris Aricini, ſicut ſcribit Lactant: libro de falſa religione, congreſſus, velut cum coniuge, imitatus forte Faunum, qui ad numina patria addens auum, h. e. Saturnum, ſeu Sterculium, & patrem picum, & ſororem mortuam Fatuam Faunam, à Romanis cultam, Bonæ Deæ nomine, nocturno tempore ſomnia captauit, & qui vaticinijs famam & celebritatem ad poſteros inuenit. De Ogygia inſula, quinque dierum nauigatione diſtante à Britannia verſus occaſum, Plutarch. De facie in orbe lunæ:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

re lunæ: In ea Saturnum dormire, & circa ipſum verſari genios, qui famuli eius fuerint tum temporis, quo in Deos hominesq; imperium geſſerit. Eoſq; multa vaticinari, & de maximis & ſummis reb. prædicere, dum ſomnia Saturni renunciāt, huic enim in ſomnis obuerſari, quidquid Iuppiter in animo meditetur.

E Menecrate Grammatico cuiuſdam ſomnium refert Artemidorus, qui cum non inueniſſet interpretem Alexandriæ, ſomnij intricati explicationem à Serapide petierit, ſed luſus fuit egregiè: quid enim aliud ab hoſte humani generis tibi polliciare? Fuit autem cultus Serapis multis ſeculis, qua de re lib. 9. Hiſtor. Eccleſ. cap. 30. Ruffini, & c. 23. dictus quoq; Sorapis à quibusdam Apis (Apis autem bos eſt, lingua Aegyptiaca, diuino honore affectus) dictus itidem Oſiris, mutato poſt mortem nomine, vt mos fuit, teſte Lactantio lib. 1. de Falſa relig. c. 21. ne quis putaret, eos homines fuiſſe. Sunt qui volunt eſſe Deum ſubterraneum, eundemq; cum Platone: ſed hæc fortaſsis ab hoc loco alieniora ſunt. Reuertor ad ſuperſtitiones ſomnia captantium. De ſummis philoſophis Platone & Pythagora Cicero lib. 2. de diuinatione, quòd, quo in ſomnis certiora videamꝰ, præparatos quodam cultu atque victu proficiſci ad dormiendum iubeant: Verentur quidam ſpondæ partem inferiorem pedib. attingere, ſic enim excidere aiunt ſomnia. Si quid verò timorem afferre, & malum portendere videretur, pari amentia nulli id aperiebant, ſed ſibi ſolis ſecretò narrabant, nemine conſcio, omen aduerſum hoc modo auerruncando, vt auerterent, quod eſt ἀποπέμπεσθαι ἔννυχον ὄψιν, Eurip. Hecub. Quo refert Cardanus illud Perſij Satyr. 2.

*Hæc ſancte vt poſcas Tiberino in gurgite mergis.*
*Mane caput, bis terque, & noctem flumine purgas.*

Tibullus lib. 1. Eleg. 5.

*Ipſe procuraui, ne poſſent ſæua nocere*
*Somnia, ter ſalſa deueneranda mola.*

Et lib.

Et lib. 3. Eleg. 4.

*At natum in curas hominum genus, omina noctis*
*Farre pio placant, & ſalente ſale.*

Ille mos, quo meliora ominari ſunt ſoliti, & votis mala, ſomnis triſtibus denunciata, auertere, non fuerit culpandus: niſi acceſsiſſent futilia multa & impia. Non enim impie idem poeta.

*Di meliora ferant, nec ſint inſomnia vera*
*Quæ tulit heſterna peſſima nocte quies.*

Et lib. 3. *Ite procul vani., falſumq́ auertite viſum,*

Et. *Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,*
*Et iubeat tepidos irrita ferre notos.*

Vt nec puella in Europa Theocriti(quæ tamen à Seruio in Bulic.non Theocrito aſcribitur,ſedMoſchus Syracuſanus Grammaticus,Ariſtarchi familaris,proximus ab illo Bucolicorum ſcriptor, eius autor aſſeritur.)

ἀλλὰ μοὶ εἰς ἀγαθὸν μάκαρες κρίνειαν ὄνειρον.

Ac ne hoc quidem quo pacto reprehendi poſsit video, aut ſuperſtitioſum haberi, ſi is, cui noctu quid ſuggeritur, quod mens aſsiduè verſando percontari non poteſt, inter vigilandum,cubiculum non egrediatur,cum nemine loquatur, ſit ſolus,ſit ſobrius,donec reuocetur in memoriam,quod elapſum fuerat: hæc enim iuuant reminiſcentiam.

Xenophon lib. 4. ἀναβάσεως litat dijs & nota nuncupat, ratus ſomnium ſibi à Deo omiſſum.

Apud Ouid. proſperum ſibi ſomnium precatur ſomnians:

*Vtile ſit, fauſtumq́ precor, quod imagine ſomni*
*Vidimus.*

Et: Rata ſint ſua vota precatur, Megara hoſti mala imprecatur: τὰ δὲ πάντα πρὸς Εὐρυσθῆα τρέποιτο οἴκου ἀφ᾽ ἡμετέροιο; γένοιτο δὲ μάντις ἐκείνῳ θυμός

θυμὸσ ἐμὸσ, μὴ ἄλλο παρεκπεχέσαι τι δαίμων.

Imitatur Xenophontem Poppæa, in Octauia Senecæ.

*Delubra & aras petere conſtitui ſacras*
*Cæſis litare victimis numen Deum,*
*Vt expientur noctis & ſomni minæ,*
*Terrorq́ in hoſtes redeat attonitus meos.*
Et ad nutricem:
*Et vota pro me ſuſcipe & precibus pijs*
*Superos adora, mânet vt præſens metus.*

Romanis,(nam hoc omiſeram) non modo ſolenne fuit in Albunea capere quietem ſomni cauſa,ſed etiam in templis alijs. Troadem delatus Lucullus, cùm aduerſus Mithridatē bellum gereret, ſuis cladibus ſemper illuſtriorem,in delubrū Veneris deuertit, & à Dea, cum dormiret, aſtante audit: O Leo quid dormis, catulos ſectare propinquos, Hoſtes inſecutus præfectum obtruncauit.

Ne verò præſide careret ex ſomnijs Diuinatio Mercurium ei præfecerunt: Vt enim cum Hercule palæſtritis præerat: quia coniungi neceſſe eſt cum robore prudentiam: cum viribus conſilium: Nam vis conſili expers mole ruit ſua, iuxta Lyricum: ita eidem Mercurio conſecrata ſunt ſomnia, quòd prudens ſolertia in ſomniorum interpretatione requiratur, Quare Apollonius lib. 4. Argon.

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ κἀκεῖθεν ὑπεύδια πείσματ᾽ ἔχυσαν
μνήσατ᾽ ἔπειτ᾽ εὔφημος ὀνείρατος ἐννυχίοιο
ἀζόμενος μαίης ἀα κλυτὴρ: εἴσατο γάρ οἱ
δαιμονίη βῶλαξ ἐπιμάσιος ᾧ ἐν ἀγοστῷ
ἄρδεσθαι λευκῇσιν ὑπαὶ λιβάδεσσι γάλακτος

Et Homerus Hymno in Mercurium:

ληϊστῆρ᾽ ἐλατῆρα βοῶν, ἡγήτορ᾽ ὀνείρων

Νυκτὸς ἐπωπητῆρα πολυδόκον. Nec verò ratione caret hoc figmentum naturali: Etenim non parum confert ad ſomniorum certitudinem, & euidentiam, & de ijs non ſtolidum iudicium, et coniecturas capiendas, apta et fauſta ſtellæ Mercurij collocatio, teſte Ptolomæo: ὁ τοῦ ☿ ἀστὴρ μόνος τὴν οἰκοδεσποτίαν λαβὼν, ἐπὶ μὲν ἐνδόξου διαθέσεως, ποιεῖ τοὺς γεννωμένους συνετοὺς, ἀγχίνους, νοήμονας, λογιστικοὺς, εὐστόχους, φυσιολόγους. Et ὅτε ὁ ☿ ὑπάρχει ἔν τινι τῶν οἴκων τοῦ ♄ καὶ ἐστὶν ἐνδυναμος, δίδωσι τῷ γεννηθέντι στοχαστικὴν διάνοιαν, καὶ ἀκρίβειαν τῶν πραγμάτων: Cui ſi ſuffragetur ♀ ſola tenens dominium in locis laudatis, redditur natus ἐνόνειρος: Et lib. 4. κἂν μὲν ὁ τοῦ ♄ τῷ ☿ μαρτυρήσῃ ἀλλοτρίων οἰκονόμους ποιεῖ, ἢ ὀνειροκρίτας, ἢ ἐν ἱεροῖς τὰς ἀναστροφὰς ποιουμένους προφάσει μαντειῶν καὶ ἐνθουσιασμῶν. Atq; hæc cauſa fuit, cur ex eo, quod ex cauſis naturalibus oritur, εἰδωλοποιοῦντες numen efficerent: Sicut alia omnia naturalia, & quidquid aut nocendi aut iuuandi viſu haberet, in eo numē eſſe credidit cæca gentilitas: ſic effectum ſideris Mercurij in numen diuinum conuertit: Aliunde enim cæteros diuos originem duxiſſe putandum non eſt, quàm à meritis & effectibus.

His ita præmiſsis, cum expoſitione vocabulorum, quibus rectè cognitis, ad rei ipſius cognitionem peruenitur: tum veterum more, in captandis ſomnijs, quæ αἰτητικὰ inde appellantur, vt contra quæ nihil petenti aut expectanti obueniunt ἀπροσδόκητα, aut etiam, quia latè patet huius nominis ſignificatio, παράδοξα nominantur, ad ſpecies ſomniorum aggredimur. Sunt autem ſomniorum alia Diuina, cum propter autorem, tum finem ipſum bona & ſalutaria: Alia Diabolica, quorum autor vt fons eſt & cauſa atq; caput omnis mali, hoſtisq; Dei & hominum, ita ſomnia, ab ipſo profecta calamitoſa ſunt, & exitioſa. Alia ſunt phyſica, & naturalia, eaq; facimus duûm generum. Quædam

enim

enim à corporis temperamento, exinanitione, repletione oriuntur, de quibus hîc non præcipuè agimus: quædam verò à peculiari animæ vi & proprietate, ab efficacia ſtellarum inſtigatæ & excitatæ, ortũ ſumunt, de quibus agimus imprimis in præſentia, ad quæ accedemus, ſi de diuinis, Diabolicis, & tertio genere, quod ſiue σωματικὸν, ſiue συγκραματικὸν, ſiue quocunq; nomine appelletur, non repugno, prius dixerimus.

## Caput V.

### *Somnia Diuina.*

Diuina ſomnia θεῖα ἐνύπνια, μεταφυσικὰ, ſunt immiſſa à Deo, cauſa rerum antiquiſsima & prima, mentibus humanis, vel immediatè vi cœleſti & æterna: vel opera Angelorum miniſtrorum & apparitorum, qui diuinam & felicem ſortem à ſummo parente acceperunt, vt inquit Philo in lib. de ſomnijs:

Suntq; πνεύματα λειτουργικὰ, emiſſa ad miniſterium eorum, qui adituri ſunt hæreditatem vitæ æternæ, per quos animos piorum mouet, & mentes vellicat, ijſq; ſalutaria doctrinæq; cœleſti conſentientia Deus inſerit, vt præſentiant ventura. Hæc ſunt θεῖα θεόπνευσα θεόπεμπτα: ἐκ Διὸς, θεῖος ὄνειρος & θαυμαστός. Homero: quæ ſunt ἀξιόπιστα propter autorem. Ariſtoteles & Cicero nulla omninò ſomnia volunt eſſe diuina, hac ratione: Quòd videtur planè indignum maieſtate Dei, verſari inter homines; à quo diſſentit Orpheus: γνώμας μακάρων αὐτὸς καθ' ὕπνους ὑποπέμπεις σιγῶν σιγώσαις ψυχαῖς μέλλοντα προφωνῶν.

Deinde id offendit ethnicos, quòd extricare neſciunt extra verbum diuinitus patefactum, quî fiat, quaq; de

cauſſa, vt non pij modò, ad quos reſpectu & cura Deus non immeritò afficiatur, ſed peſsimi nonnunquam ſomnia videant.

Principiò, haud ſanè æqui ſunt in Deum cenſores, quem, ſi non verbis, at reipſa certè à gubernaculis remouēt rerum humanarum: & duriorem faciunt atque immaniorem, quàm vt humana curet, ijsq; ſe affici oſtendat. A qua impietate nec abeſt Plutarchus De Defect. Oraculo: Qui Deum negotijs humanis interponit, amplitudini non parcit, maieſtatem virtutisq; magnificentiam non tuetur. Verùm ita fit, vbi ſic docetur. Qui enim audeat homo, bulla, cinis, vmbra, puluis, de vmbra ſomnium, ſe inſinuare in familiaritatem maieſtatis diuinæ & æternæ?

Nos longè aliter inſtituti & edocti, de ortu noſtro rectius ſentimus, & de voluntate Dei atque amore in nos, ex verbo eius, minime ambigimus. Quid enim dulcius, quàm quòd æterna Dei ſapientia: Deliciæ meæ filij hominum. Habitat quidem Deus in luce inacceſsibili: ſed vt propius cognoſceretur, per filium humanæ carnis maſſam aſſumentem, agnoſci voluit, in quo effulget mens patris æterni, & tota habitat diuinitas σωματικῶς: hunc cum aſpicis, patrem vides, neq; arctiore ſe nobis vinculo iungere poſsit Deus immenſus, nec propius agnoſci: In hoc ſe cognoſci Deus voluit, quo ſit in nos animo, quid nos doceri velit, id quod vtriq;, & Philoſopho & Oratori fuit ignotiſsimum, Quos non planè latuit, eſſe homines opus Dei: amari tamen, foueri & regi hoc opus, non ſatis conſtanter ſtatuerunt.

Deinde nec illud quidquam ad refellendum ſomnia diuina facit, Quod Bruta ſomnia habent: & homines obſcuriſsimi. Nam primùm quod ad bruta, ingens eſt diuerſitas quod ad materiam ſomniorum circa quam: Etenim bruta

ſomni-

ſomniat panem, carnem, morſus & id genus alia: At homi‑ni longè alia offerentur, Dei honorem, & hominis ſalutem iuuantia. Ne tamen planè prouidentiam & reſpectum ad res humanas tollere videretur, ſuperiora à Deo gubernari aſſe‑uerauit, at non item inferiora, quibus præfecit dæmonas, quorum opera, quæ cognoſci ab hominibus vellet, cognoſ‑cerentur. Iniurioſum igitur in Deum eſt, ne dicam blaſphe‑mum, affirmare, Deo turpe eſſe & probroſum, ſi homines adeat: nec meminiſſe etiam Deos Ethnicos cum hominibus non rarò verſatos, vt poetæ aſſerunt, ethnicorum theologi.

Deinde non videt facile philoſophus, aliam eſſe rati‑onem ſomniorum in impijs, aliam in pijs: Impios enim ſua præſentia vniuerſali, qua omnes res à ſe conditas Deus fo‑uet, in eo ſtatu, quem ſingulis attribuit, & conſeruat, certo tempore tandem abolendos: Quare ethnicis magiſtratibus, qui licet verbum non habeant, tamen rem habent, vocati ad gubernanda imperia, diuinitus conſtituta, & ſtabilita tàm bello quàm pace, ſi obuenit ſomnium, quod habet analogi‑am, & eſt conſentiens cùm re ipſa & cogitationibus, neuti‑quam inane ducendum eſt. Etenim ſi ſocietatem humanam tueantur, eamque turbantes deſtruant, & non volentes in ſce‑lera ruant conſilio non rarò ad gubernationem inſtruuntur: & pertinaciter quidem flagitioſos ſomnijs terruit, vt dome‑ſtico teſte, ſua conſcientiâ conuicti facinorum, diſcerent ſe‑cuturam vltionem, quò tardius, eò grauius: Sanabiles ve‑re morſu & terrore conſcientiæ ad frugem redirent.

At ſanctis, & verbo & Spiritu cæleſti renatis, peculi‑ari præſentia non adeſt ſolùm, ſed nouum cor creat, cogita‑tiones refingit, motus temerè ruentes coercet, & ſui ſimiles in eis excitat: Spiritus & humores ad eam, quam intendit, i‑maginationem ſuſcipiendam fingit, & intellectum atque men‑

tem luminis cœleſtis radijs perfuſam illuſtrat, memoriam firmat, ad apprehendendum, retinendum, intelligendum, quod animo obijcitur.

Ne verò dubium ſit, quin à Deo ſomnia immittentur, vtq; liquidò conſtet, quibus fides habenda, ſigna ſunt obſeruanda tria.

Primum eſt, vehemens impreſsio, ne animo elabantur, aut ſi excidant, vt reuocentur: non enim nugas agit DEVS, qua impreſsione animus incitatus non poteſt acquieſcere, priusquam ſignificationem inuenerit & indagarit, vi quadam ætherea voluntatem ſtimulante: qualis ardor eſt in Pharaone rege Aegyptio Gene. 40. In Nabochdonoſore Babylonio Daniel. 2. & 4. Hîc verò diligenter eſt attendendum, quid præcipiatur, ne ſit cum verbo DEI expreſſo pugnans, neu animus errore faſcinatus, transuorſum rapiatur.

Alterum ſignum eſt interpretatio certa & minimè ambigua, inde profecta, vnde proficiſcitur ſomnium ipſum, à Deo in cœlis, qui, vt loquitur Daniel Cap. 2. reuelat arcana notumq; facit, quid futurum ſit, & myſteria: Sic Nabochdonoſori, ſomnium, quod exciderat memoria, Daniel diuino motu reuocat, vt teſtaretur Deus, ſe illius eſſe autorem et à ſe regi et adminiſtrari imperia. In vtroq; Pharaone & Nabochdonoſore eſt imaginatio, ſed deeſt interpretatio et intellectus, quia ſomnia ſunt ἀινιγματώδη, & ſine Spiritu ſancto nequeunt intelligi.

Tertium ſignum eſt euentus cum interpretatione conueniens, ita vti fuerat prædictum. Nobis igitur nullum ſit ſomnium diuinum, niſi cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis conſentiens: nihil recipiatur, quod ab illis diſcrepat: nulla religio, nullum dogma verum & ſalutare putetur, quod veritati cœleſti, per Spiritum Dei patefactæ, refragetur.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Damnamus itaq; omnia ſomnia è quibus ſequitur corruptela articulorum fidei noſtræ, qui ſunt fundamentum ſalutis: his enim Diabolus mentibus hominum illudit curioſorum, & nouitatis auidorum, ſuisq; affectibus blandientiū, cuiuſmodi ſunt Ethnicorum, & falſorum olim Prophetarum, qui ſomnia ſuis mendacijs prætendebant, Somniaui, inquientes, ſomniaui, quæ audiri & credi ſeueriſsimo Deus interdicto prohibuit, & ea audientibus interitum exitiumq; minatur. Ac interdum euentus reſpondet ſomnijs etiam falſorum Prophetarum, Deo id permittente, ad explorandā piorum conſtantiam, vt inquit Deut. 13. Quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum an nō, in toto corde, & in tota anima veſtra.

Nec non impijs obueniunt ſomnia, vt vel hoſtium veritatis teſtimonio, veritas in lucem proferatur, &, ſi fieri poſſit, ad meliorem ipſi mentem redeant. Interdicta verò Deus eſſe voluit ſomnia non in vniuerſum, ſed hac ratione, ne anxiè de rerum dubio euentu, & fallaci ſæpè torquerentur homines, & ne confingerentur, vt fieri ſolet, de rebus non expreſsis interpretationes curioſæ, nec animus anxius euentus ambiguos comminiſceretur.

Adhæc, ſicut antè etiam monuimus, curioſa obſeruatio leuibus ingenijs, calidam affundente primo hæreſeos autore, impios cultus excudendi, & à norma veritatis æternæ & immotæ deſciſcendi fuit occaſio. Itaq; accurata cautione hîc opus eſt, vt quouſq; progredi inquiſitio noſtra poſsit & debeat, etiam atq; etiam conſideretur, & quid ſit recipiendum.

Omninò enim hoc modo ſe res habet, et ſic ad vnum omnes ſani ſentiūt, Nō eſſe hominis ſcrutari ardua, ſublimia et arcana, quæq; aleā rationis humanæ excedunt: Qui enim maieſtatem ſcrutatur, ab ea opprimitur: et cauendum, ne in ſuper-

ſtitionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ſtitionem deferamur, nec quid committamus quod proximo ſit fraudi, nec arte & ſcientia abutamur: Si tamen in ſimplicitate cordis ambulantes, & in timore Dei, in cuius manu omnia ſunt, quiq; ſolus vult à nobis religioſe & ſancte coli, præter ſomnia Prophetica, etiam alia obſeruemus, non quidem captando (curioſos enim facile circumuenit præſtigiator ille, qui mille per Mæandros agitat quieta corda, iuxta prudentium) ſed oblata notando, haud impiè fecerimus.

Neque diuina ſunt ea modo putanda, quæ veteris & Noui Teſtamenti autoritatem ſunt promerita: ſed quæcunque verbo Dei non contraria, oblata ſunt ijs, qui in munere & officio, â Deo ſancito & ordinato, collocati Dij ſunt, h. e. Dei perſonam ſuſtinent, & munus gerunt; quibus munus ipſum autoritatem conciliat. Quos enim in faſtigio dignitatum collocauit, data terra filijs hominum, quemadmodum canit Propheta regius, ſuum locum tenentibus, prærogatiuis & donis ornauit, præ cæteris hominibus: & peculiari ſæpè vni familiæ priuilegio: vt enim de Spartanis refertur, notam illis fuiſſe generis naturalem, draconem: Regibus Francicis Occidentalibus, è ſtirpe Hugonis Capeti, à ducibus Saxoniæ oriundis, vim ingenitam ad ſtrumas ſanandas: Pyrrho Epirotarum regi in ſplenis doloribus tollendis, cum mactaret gallum album, & pede dextero, iſto morbo affectorum lienem leniter premeret, & Scandebegi brachio dextero notā impreſſam forma enſis perhibent: Sic etiam mens maior plerunq;, & animus ineſt generoſior, visq; præſtantior quàm in vilioris conditionis hominibus, maius ingenium, temperamentum concinnius, & æqualius, virtus excellentior. Cum enim in magis ardua & periculoſiore ſint functione, maioribus egent adminiculis: vt Dei locum ſuſtinentes, maieſtate etiam donorum ſint magis conſpicui. Quare virorum præſtanti-

ſtantium in magiſtratu collocatorum ſomnia, non tantum non ſemper reijcienda, verum etiam in diuinis habēda ſunt: Quin & hoc addo: Ad eum modum, quo membra ad caput, partem ſcilicet principem, ſeſe accommodant, ita ſe habere ad principem conſiliarios, ſiquidem quæ cordis ad caput, eadem conſiliarij eſt ad principem ἀναλογία.

Cum itaq; ſomnijs principum non ſit nihil tribuendum, nec ijs, qui regi ſunt à conſilijs, fides derogabitur: niſi hac tamen lege, quod ad rauim vſq; inculco, ne aut diuino iuri, aut legibus humanis repugnent, ſed rationi, ſine ſuperſtitioſa curioſitate, ſint conſentanea: Vt per ea monſtretur modus non confirmandi noui aliquid in religione, ſed iura ſocietatis & communionis ciuilis fœdera & vincula ſanciendi.

Veruntamen hæc ipſa ſeiungemus à Propheticis, ne audacter facere videamur, propheticis, quæ patefactione Dei peculiari orta, ad ſalutem æternam ſpectant, comparando ea, quæ ſocietati humanæ famulantur. Et his præmiſsis ad diuina reuertemur.

Aperuit Deus arcana, quæ quidem homini neceſſaria, et ſaluti noſtræ conducentia, ſciri voluit, triplici modo: Primū enim locutus eſt interprete & oratore filio, aſſumpturo póſt naturam humanam, quem inde λόγον appellans Iohannes Euangeliſta & Apoſtolus, interpretatur id quod eſt Gen. 1. Dixit Deus, quia per ipſum facta ſunt ſecula, dicente Patre æterno: idemq; myſterium de redemptione generis humani, omnibus creaturis ignotum, aperuit. Sic locutus eſt cum Moyſe à facie ad faciem, Num. 12. Deut. 34. Exod. 32. vt familiaris. Locutus eſt cum Abrahamo, perditurus igni & ſulphure de cœlo Sodomam & Gomorrham, & confirmans promiſsionem de ſemine, in quo benedicendæ eſſent omnes gentes.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Deinde viſionibus, qualis eſt Eſaiæ 6. Ezechielis 37. & Diui Petri in Actis Apoſtolorum. Eodem pertinent prædictiones & reſponſa edita è Rationali, de quo multa Moyſes in Exodo. Fuit autem Adamas, colore aëri ſimilis: quem, ingrediens ſummus pontifex in ſanctum ſanctorum geſtabat in pectore, poſtquam talarem veſtem, & ſuper hanc Epomida induiſſet, ſecꝫ oſtendebat populo cum lamina aurea, galero addita. Is adamas, ſi, Deo offenſo, niger redderetur, mortem: ſi ſanguineus, gladium: ſi niueus & lucidus, mentem numinis portendebat propitiam, & feſtorum libertatem, vt eſt in libello Epiphanij Cypri Epiſcopi: In medio Rationalis ſiue oraculi, collocatum erat Vrim & Thumim δήλωσις καὶ ἀλήθεια, vt verterunt Græci, id quod adamantem, de quo diximus, interpretatur Epiphanius: Quorum illud á luce nomen habet, hoc ab integritate & perfectione. Sunt qui inde emicuiſſe flammulas ſeu ſcintillas ſuſpicantur, indices eorum, quæ à ſummo ſacerdote oracula quærebantur: alij Chryſtallum, repræſentantem ſacerdoti futura. Quanquam autem illud Vrim & Thumim à tempore captiuitatis Babylonicæ deſierat, tamen ſemper aliquam fuiſſe vocem exauditam ferunt, quam filiam vocis ἠχῶ uocarunt.

Tertio ſomnijs ſeſe manifeſtauit, de quibus in præſentia agimus. Primum autem ſomnium in ſacris literis Abimelechi eſt regis. Non eſt autem dubium quin extet in hac doctrina de ſomnijs teſtimonium prouidentiæ diuinæ & mirãdæ liberationis ſanctorum, Nam Abimelechus rex palæſtinorum in Geraris, quæ nunc eſſe creditur Aſcalon, ea parte qua fines palæſtinæ meridiem reſpiciunt, duobus milliaribus ab Hebron, deducta in ſuos thalamos Abrahami coniuge, quam rebatur eſſe Abrahami ſororem (erat autem ſoror, vel quia neptis erat ipſius, nata ex fratre eius conſanguineo A-

ran, vel filia patris Abrahami adoptiua) diuino monitu in ſomnis, graues minas, etiam mortis, audit, præter ſterilitatem totius ſexus muliebris, niſi reſtituat eam marito: & de ſimplici ignorantia, non malitioſè affectata, excuſatur. Non enim locum habet in Eccleſia Stoicum paradoxum ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, de quo Cicero, ſed σύγγνωμον τὸ ἀκούσιον.

Abrahã Gen. 15. accepta promiſsione ampliſsima de futura poſteritate, et ſemine: de ſeruitute Aegyptiaca, et eiuſdem duratione: de liberatione populi, poſt ſolis occaſum, arctiſsimo ſomno oppreſſus conſternatur, & denſis tenebris obruitur.

Iſaacum noctu Deus allocutus, metum ei omnem adimit, ſe ad futurum auxiliatorem pollicetur, & amplificationem benedictionis & poſteritatis promittit. Geneſ. 26.

Iacob Eſauum fratrem, cum religionis ſinceræ contemptorem, tum in parentes acerbè impium, fugiens, & iturus Haran Meſopotamiæ, noctu in agro dormiens, eo loco, qui antè dictus Lus, pòſt Bethel, id eſt, domus Dei, conſpectu Dei fruitur. Quoniam bene moratam animam habebat, & maſculum ſpiritum, & ab omni uanitate liberum, admirabilem illam viſionem meruit. Hoc enim more agit Dominus noſter, quando videt animum præſentia non magnifacientem, plurimum ſibi illum curæ eſſe declarat, vt inquit Chryſoſtomus in cap. Gen. 28. Videt autem ſcalam, cuius extremitates cœlum & terram contingunt, & aſcendentes deſcendenteſq; angelos, quo cœlum apertum, & Deum placatum eſſe ſignificabatur, ipſo Chriſto interprete, Ioh. 3. & cũ diuina tum humana Chriſti natura vnita ὑποστατικῶς ſignificatur, agglutinataq; Chriſto Eccleſia, qui doctores mittit, qui lapide fundamenti innixi, recteq; de Deo edocti, vocem Euangelij propagant, nec aliã monſtrant ſcalam conſolationis, niſi eam quam vidit Iacob, qua conſpecta ſenſit lucem et conſolationem in corde. Geneſ. 28.

 Idem

Idem Labanis, monſtri fœdi & abominandi, ϖλεονεξία decies illuſus, ab Angelo in ſomnijs confirmatur, ne animum deſpondeat, neque de præmijs fidei præſtitæ Labano, & laboris exantlati ſpem abijciat: recepturum enim, mirabili modo aucto grege, pietatis fructus vberrimos: & redire in eam terram, quam patria relicta iuſsi patres eius occupare fuerant, iubetur.

Geneſ. 31.

Laban impius, auarus, ἄϛοργος, fugientem Iacobum inſequens, inhibetur ſomnio, ne quid durius in innocentem Iacobum conſulat.

Geneſ. 31.

Ioſephum Principem & Dominum ſuorum fratrum, triticei manipuli portendebant: E quibus cum numero filiorum Iacobi conuenientibus, ſolius Ioſephi manipulus eo quo collocatus fuerat loco, erectus ſtabat, cæterorum fratrum manipulis curuatis, & ſummitates ſubmittentibus, illumq; adorantibus. Quod ipſi fratres interpretati, pleni acerbitatis & iracundiæ, ægerrime tulerunt, ominati ſibiipſis ſeruitutem, fratri verò regiam dignitatem & dominium.

Geneſ. 37.

Viſus eſt idem prono vultu adorari à Sole, Luna & Stellis vndecim in terram ſeſe demittentibus. Quod ipſe Pater Iacobus, de ſe, de ſua vxore, & de filijs ſuis exponit. Etiamſi autem videretur primùm id pro nihilo ducere, tamen lætatus maximæ felicitatis ſignificatione, filio obuenturæ, non planè neglexit.

Piſtoris regij & magiſtri pincernarum ſomnia Gen. 40. commemorantur. Quorum ille tres ciſtas, & earum duas quidem panis, vnam verò crudi obſonij plenam ferebat, quas importunæ volucres diripiebant: Hic verò coram ſe vidit vitem magnam, de qua pendebant tres palmites onuſti vuis maturis, & floridam: quas vuas, pulchritudine earum captus, decerpſit, et liquore poculum regium impletum, Pharaoni,

Geneſ. 40.

raoni, de more priſtino porrexit. Secundum Ioſephi autem interpretationem triduo elapſo, quod numero palmitum deſignatum fuerat, pincerna quidem dignitati, qua exutus fuerat, reſtituitur: At piſtorum præpoſitus gulæ & mundi voluptatibus inceſcatus, præda fit volucribus & in crucem actus à coruis & gryphis diſcerpitur. Geneſis cap. 41. & meminit Ioſephus libro ſecundo Antiquitatum Iudaicarum cap. 4. Dormienti Pharaoni, qui nomine proprio eſt Amoſis, & ad littus viſo ſibi aſtare, ſe offerunt ſeptem Boues, magnitudine, obæſitate, pulchritudine inſignes, & aſpectu hilares, in paſcuis lætis errantes ſecundum flumen Nilum. Hinc ſequuntur ſeptem aliæ grandi quidem corpore, ſed ſqualidæ nimium atque macie deformes, vixque hærentes oſsibus: Hæ paſcentes vna cum prioribus, illas deuorarunt, manente priſtina macie, vel etiam aucta. Iterum obdormiſcens in ſomnum denuò relabitur, & ſpicas ſeptem triticeas ex uno eodemque culmo enatas pari magnitudine conſpicit, proceraſque & præ mole ponderis nutantes, meſsique aptas. Has inſecutæ ſunt aliæ exiles, aduſtæ, macilentæ & languidæ, eque nimia ſiccitate ſteriles, quæ abſumebant ſpicas alteras nitidiſsimas illas & granis onuſtas.

Somnium de re cognata erat. Numerus cum boum tum ſpicarum denotabat ſeptennium: Boues verò portendebant agrorum prouentum lætum atque vberem: tum infœcundum atque triſtem: nam boum in aruis exercendis præcipuus olim labor fuit, & cura pecoris apud priſcam gentem mortalium potiſsima, imprimis autem in gente Iudaica. Excepit autem à C. O. 2229. annorum ſeptem felicitatem, & frugum fœcunditatem, ( ea verò efficiebatur cum ex aliis cauſis, tum rigata terra aquis Nili ſtagnantis, flantibus ex aduerſo Eteſiis, dum Sol perluſtrat tria ſigna æſtiua Cancrū,

 Leonem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Leonem, Virginem, poſt enim, centeſimo die intra alueum retrocabatur agris de limo, è iuſto fluminis incremēto, quod eſt, cubitorum ſedecim, pingueſcentibus) totidem annorum miſeranda ſterilitas, nec vates falſus fuit aut vanus Ioſephus, de re eâdem explicans vtrumq; ſomnium, Quod ideo geminabatur, vt diuinum iudicaretur, & credibilius, ne ex caſu aut cauſis naturalibus ortum putaretur. Fuitq; ſi cauſam efficientem ſpectes, diuinum: Si materiam, politicum: Si totam gentem, δημόσιον.

Iacob Gen 46. diuinitus in viſione nocturna iubetur ire in Aegyptum, ad viſendum filium, quem iam dudum à feris dilaniatum audiuerat (venditus autem erat inuidorū fratrum ſcelere) & ad effugiendam famen: de quo Philo ὁ πλατωνίζων: Hæc cogitantem videns, qui ſolus inuiſibilē animam introſpicit, miſeratusq;, dormienti in ſomnis apparuit, ſaluum conductum promiſit, & incolumem filium deſideratiſsimum. De huius filij incolumitate, fama verè patri erat ſomnium & fabula: nihil enim minus credebat, quam ſuperſtitem eſſe filium, quo annos antè tredecim orbatus fuerat.

Amramus Caathi filius per quietem, iuſſus fertur, vt liberis daret operam: procreandum enim filium, qui rebus gentis Iſraëliticæ deſperatis et deploratis ſuccurreret, & lapſas inſtauraret. Genuit præter Aaronem & Mariam, ex Iochebeda Moyſen, vindicem ſeruitutis indigniſsimæ qua à Pharaone indignis modis premebantur, et libertatis aſſertorem conſtantiſsimum. Iudicum cap. 7. noctu excitatus à Deo Gideon, aras confringit, & poſt in Midianitas et Amalechitas arma illaturus, caſtra hoſtilia explorator ingreditur, vno miniſtro ſocio; auditq; militem narrantē commilitoni ſuo ſomniū huiuſmodi: Vidiſſe ſe dormientem panem hordeaceum, qui per caſtra Midianitarum & Amalechitarum prouolutus, ca-

ſtra

ſtra atq; tentoria omnia vndiq; hoſtiliter proſtrata, euerteret. Id ſomnium ipſe miles de gladio Gideonis filij Ioæ interpretatur, & ita vt fuerat ominatus, euenit: nam nouo ritu pugnās Gideon, frumentum antè ſolitus excutere, in mutuas cædes hoſtes adegit et palātes inſecutus cecidit, duoſq; duces cepit.

1. Samuel. 3. dormiens Samuel. Propheta declaratur, qui Heli patri indulgenti in filios, iram Dei et pœnam iuſſus denunciare & interitum, & populo cladem, primūm quidem id veretur facere, ſed poſt exequitur intrepidè.

1. Reg. 3. Solomoni Deus ſacrificanti in Gibeon, & commemoranti diuina in patrem ſuum beneficia, nec vitam longæuam, nec diuitias, nec animas hoſtium ſuorum, ſed ſapientiam et iudicandi tantam multitudinem prudentiam petenti, abundè omnia promittit inter dormiendum, ſapientiam & diuitias inauditas.

Daniel Cap. 2. deſcribst ſomnium; Nabochdonoſoris circa annum mundi 3370. exilij verò tribus Iudæ & Beniamin ſeptimum: idq; ipſemet interpretatur de quatuor Monarchijs: Repetit idem quoq; Ioſephus lib. 10. Antiquitatum Iudaicarum.

Cogitanti regi anno ſecundo poſt vaſtationem Aegypti de ſtatu futuro, obuerſata eſt animo imago grandis, ſplendida, & forma terribilis. Cuius caput erat ex auro puriſsimo, pectus & brachia argentea, venter et lumbi æneì: Tibiæ ferreæ, & pedes partim ferrei, partim lutei. Auulſus de monte lapis, ſine manibus, ſuopte nutu & impetu, pedes ferreos & luteos contriuit, vna cum ferro, ære, argento, auro, nec veſtigio eorum vllibi apparente. Lapis verò, qui coloſſum confregerat, factus eſt mons magnus, et impleuit vniuerſam terram. Reſpondit hactenus interpretationi Danielis euentus.

Nā prima Monarchia fuit Aſſyriorum & Chaldæorū (al-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ternis enim vicibus ex vtraq; gente reges imperarunt) facto initio à Nimrodo Chuſi filio, Noæ, ex Chamo filio, pronepote, anno orbis conditi 1789: floruitq; ſub Nabochdonoſore, cõparata auro, propter artes multiplices & varias, propter ſapientiam, virtutem, fortitudinem, potentiam, gloriam, honeſtatem publicam, prudentiam, ſcholas optimè & ſapiẽtiſsimè conſtitutas, & edita diuinitus miracula, verbumq; cœleſte, ore ipſorum principum publicè ſonans.

Cum hæc Monarchia duraſſet annos 1636. ſecundum quorundam ſupputationem, vt paulatim poſt ἀκμήν, viribus diminui cepit, ita propter vicia & tyrannidem atq; profanitatem, quibus de cauſis regnum de gente ad gentem transfertur, tandem illud Chaldæorum & Aſsyriorum imperium eſt abrogatum.

Penes Medos & Perſas ſumma fuit potentia, victo Balthaſare nepote Nabochdonoſoris à Cambyſis I. è Mandane Aſtyagis regis Medorum filia, filio Cyro Magno, qui anno regni ſui vigeſimo, Captiuitatis autem Babylonicæ exactè ſeptuageſimo, Babylone capta, imperium accepit, & Monarchiam ſuæ genti ſubegit. Hæc ſecunda argenteo ſimilis pectori, ſuperiori quidem par non eſt, tamen iuſticia & ſapientia excellit, munificentia in Eccleſiam Dei & populũ Iudaicum eſt Illuſtris, reſtitutioneq; vrbis & templi ſacri nobilitata. Exacta etiam huius periodo, nam ſingulis regnis ſui ſunt termini, Alexander Magnus ſummum Orbis Imperium occupauit, Anno Orbis conditi ter milleſimo sexcenteſimo trigeſimo quarto, collatumq; illud eſt cum æneo ventre & lumbis, propter bella inteſtina & cruenta, cædiumq; fæditatem, et principum quorundam lanienas lamentabiles, libidineſq; infandas. Ob quæ mala anno durationis 283. à Romanis tollitur. Orbis totius Imperium ſibi anno- um iure vendicantibus.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Horum Romanorum Monarchia cum ferro confertur, quia potens eſt & terribilis, omnia proterens & ferreis dentibus conſumens, Quia regiam Iudaici populi ſtirpem et dignitatem funditus ſuſtulit: Palæſtinam ſubegit, Meſsiam Chriſtum morti adiudicatum clauis ferreis & lancea transfixit, Iudæam triſtiſsime vaſtauit, & ſolo æquauit, Chriſtianorum ſanguine expleri non potuit, à ſanguine cepit, in cædes furioſe ruit.

Aliorum autem imperatorum potentia alijs fuit inferior, ob quam cauſam pedes tibiæ alij fictiles ſunt, alij ferrei. Et quia ferrum admixtum eſt teſtæ, ſignificantur connubia ad firmandum Imperium, iamiam lapſurum inita. Sequetur autem regnum de cœlo æternum, nulli populo alij tradendū, quod eſt regnum Chriſti contriturum alia omnia, & duraturum ſine fine. Hoc enim ſolum illud eſt, de quo apud Virgilium Iuppiter ad Venerem, de Romanis loquens.

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono,*
*Imperium ſine fine dedi.*

Vidit præterea Nabochdonoſor Daniel 4. Somnium de arbore magna & robuſta, quæ cœlum verticæ contingebat, & totam terram obumbrabat: ramis pulchra, fructibus copioſa, vmbris iucunda, prouentu vtilis, victu commoda omnibus. Iuſſa eſt autem reſcindi arbor ab angelo, ramis truncari, frondes abijci, fructus diſpergi, animalia diſijci, ſed ita vt radix orbata fructibus & comis eſſet incolumis.

Nabochdonoſor rex potens et fortuna dulci ebrius, ſpiritusq; altos gerens, voce diuina ſpoliatus regno, feræq; ſimilis factus animo, et è cœtu hominum excluſus, fœnum comedit, ſub dio & pluuijs errauit, vincuis ferreis, & æneis conſtrictus compedibus, ſimilis aquilarum pennis, auium vngui-

bus: poſt ſeptem annos tandem reſipiſcens, regnoq; reſtitutus, Deum excelſum magnificè extollit. Quia ἰὸμ ἀγοίνοξα κάρφα, vt Heſiod. inquit, Et fortuna cum ſtridore acuto. Hinc apicem rapax ſuſtulit hîc poſuiſſe gaudet, vt ait Horatius

Capite 7. Dan. Vaticinium de quatuor Monarchiarum ſerie & ſucceſsione repetitur, ad ſomnium prius confirmandum, Nam Geneſis quadrageſimo primo, Ioſephus ad Pharaonem dicit: Quòd vidiſti ſecundo, ad eandem rem pertinens ſomnium, firmitatis indicium eſt, quód futurus eſt ſermo Dei, & celerius implebitur: Verùm repetitur alia imagine, quatuor videlicet beſtiarum, Leonis, Vrſæ, Pardi, & Beſtiæ terribilis, cæteriſq; diſsimilis. Vidit autem Propheta Daniel anno primo Balthaſaris, regis Aſsyriorū vltimi, quatuor ventis in mari magno inter ſe confligentibus, quatuor Beſtias grandes aſcendentes de mari, & inter ſe diuerſas.

Primam Leonis alati, qui alis euulſis ſublatus de terra ſuper pedes conſtitit, et cor hominis accepit. Ea eſt Monarchia Aſſyriorum, potentia, robore, animo, prudentia excellens.

Altera beſtia Vrſi formam referebat, cuius in ore tres coſtæ inter reliquos dentes, & iuſſa eſt comedere carnem multam.

Tertia Pardus erat, quatuor alis indo rſo, & totidem capitibus, & potens.

Poſtrema terribilis & horrenda, ingenti robore, dentibus magnis et ferreis, & vnguibus æneis, comedens & deuorans omnia, reliquias pedibus conculcans. Inter huius cornua decem, paruum enatum fuit, cuius impetu tria fuere cornua euulſa, oculis humanis, ore loquente grandia & blaſphema.

Per primam beſtiam adumbratur Aſſyriorum Imperium, inſtar aquilæ Viuax & diuturnum, cuius reges Nabochdonoſor, & Euilmerodach ad Eccleſiam Dei ſunt vocati, ingentibus miraculis.

Altera Perſas deſignat, eorumq; Duces præcipuos, Cyrum, Darium Hyſtaſpen, Artaxerxem Longimanum.

Tertia Alexandrum Macedonem, qui ſumma celeritate, annos duodecim vniuerſum orbem terrarū domuit, & à mari Adriatico, vſq; ad Gangam Indiæ, continuo victoriarum curſu peruaſit: Alæ verò in tertia beſtia, quatuor duces ſignificāt, qui abſq; prole maſcula mortuo Alexandro ſucceſſerunt, videlicet Seleucum regem Syriæ, Ptolomæum regem Aegypti, Antigonum Aſiæ, Antipatrum Græciæ.

Poſtrema beſtia Romanam Monarchiam exprimit, violentiſsimam omnium: cuius prouinciæ x. præcipuæ, Italia, Hiſpania, Gallia, Germania, Illyris, Græcia, Africa, Aegiptus, Aſia, Syria: Cornu paruum Mahometi regnum eſt, blaſphemum aduerſus Chriſtum, ſæuum erga Eccleſiam, ſtudioſum delendi nominis Chriſtiani: quod regna maxima mirabili ſucceſsu ſubegit, bellis ſanctos Dei crudeliter afflixit, & affliget, donec antiquus dierum, ſolus æternus, ſolus ſanctus, ſolus iuſtus, ſolus potens, regnum ſanctorum ordietur, tradendum ipſi per filium hominis, ſeſe manifeſtaturum in nubibus, cuius regni magnificentia dabitur populo ſanctorum altiſsimi.

Alexander Magnus Tyro capta (Hîc enim putauimus hoc ſomniū inſerendum, quod planè à Deo ortum videatur, protegente ſuam Eccleſiam, quanquā propheticis ſit multū diſpar, pōdere & autoritate) anno regni ſui quarto, obſidione ſeptē menſiū, et occupata Gaza, in qua obſidione ſuppetias à Iaddo ſummo ſacerdote poſtulauerat, infeſto animo exercitū hoſtilem duxit in Iudæos, qui, quòd Perſicis regibus eſſent tributarij, nullū alium ſe dominum agnoſcere, Dario, cui iuramēto eſſent abſtricti, viuente, reſpondiſſent: Tum Iaddus, Johan. F. Eliaſibi pronepos, ſomnio admonitus, et animis inde



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

cōceptis regi irato ſupplex proceſsit obuiã, victorem indignabundũ placaturus, ſtolis & habitu Sacerdotali, comitantibus ſacerdotibus atq; ciuibus: illis quidem byſsinis ſtolis indutis, ciuitate verò ſertis ornata, & ſacerdote ſummo hyacinthinã & auream ſtolam gerente, & in capite cydarim. Hoc viſo, Alexander de equo deſilit, & ſacerdoti ſupplex honorem habet, Interrogatus à Parmenione, qui id faceret ſacerdoti, ſupplici, Iudæo, hoſti, Non adorare ſe pontificem, ſed Deum, reſpondit, Tenere enim ſe memoria ſomnium, quo in Dio, Macedoniæ vir quidam tali ornatu, de Aſiæ imperio & bello Perſico ſibi cogitanti, per quietem hortator fuiſſet, ad ſuſcipiendam expeditionem, ductorq; ſpem victoriæ feciſſet. Placatus à ſacerdote, ab Græco homine regnum Perſicum euertendum, ex autoritate Danielis audijt, eamq; ſibi victoriam reſeruatam gauiſus eſt, & peractis ſacris, iuxta præſcriptum ſacerdotis, regia templo reliquit donaria, vrbi leges patrias & αὐτονομίαν, templo doctrinam, populo libertatem, & anni ſeptimi, quo agri non conſerebantur, à tributis immunitatem, cæteriſq; Iudæis in Media & Babylone agentibus, eaſdem leges conceſsit, quibus vrbem ſacram incolentes tenerentur.

Matth. 1. Ioſephus de deſerenda coniuge grauida cogitans, nolebat enim eam adduci in infamiam, ab angelo, per quietem id facere prohibetur, eſſe enim grauidam, inquit angelus, à ſpiritu ſancto, & parituram filium Ieſum, ſaluatorem totius mundi.

Matth. 2. Magi ( quod erat genus hominum, tum reliquarum naturæ partium, tum verò imprimis ſiderum curſus ſtudioſum, horumq; effectuum, è quorum numero ſoliti ſunt reges eligi) cùm ad iudicium ſtellæ nouæ & prodigioſæ adoraturi Chriſtum recens natum, è Perſia veniſſent, & ad He-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

rodem redire iuſsi eſſent, per aliam viam in ſomnis ab angelo iubentur domum redire, ad euitandum Herodis immanem hypocriſin, quæ erupit, ipſo à Magis deluſo. Eſt profectò mens bona, quæ ſanctorum cura afficitur, nec eos, niſi certo conſilio, in manus malignantium incidere permittit, ſed ex faucibus leonis ereptos, liberat.

Matth. 27. Pilatum pro tribunali ſedentem, & de Chriſti ſeruatoris noſtri damnatione hæſitantem, ſiquidem reus quidem agebatur, ſed peragi non poterat, & hinc metuentem conſcientiæ læſionem, & iuſticiæ nemeſin, illinc Iudaici populi furorem & iram Cæſaris. Vxor monet, ne durius quid conſulat in captiuum, neu morti adiudicet inſontem, & criminis expertē, multa enim ſe paſſam in ſomnijs ipſius cauſa.

Hoc à Dracone ortum quidam ait, impedituro reſtitutionem hominis in integrum per gratiam ſaluatoris: ſed rectius ſentiunt, qui diuinum ſtatuunt, Deo ipſo animum mulieris mouento, vt innocentiæ teſtimonium daret Chriſto, tum patienti, & mortem non ex merito, ſed ex deliberato, ſubituro. Theophyl. in Matthæum, Prouidentiæ, inquit, opus ſomnium factum, non vt abſolueretur Chriſtus, ſed vt ſeruaretur vxor.

Actorum 16. Paulus cùm eſſet Troade, vrbe Phrygiæ maritima, quam etiam Antigoniam nuncuparunt, per quietem viſionem vidit, monentem, quò proficiſceretur. Aſtabat enim vir quidam ſpecie & cultu Macedonico orans: Proficiſcere in Macedoniam, & ſuccurre nobis. Erat autem angelus illius prouinciæ tutelaris. Et non fuit ſomnium vanum aut irritum, Nam Troade ſoluens Paulus, curſu continuo in Samothraciam nauigauit: hinc ſpacio non ita longo, Philippos, vrbem Macedoniæ primariam, quæ dicta olim fuit Dathos et κρηνίδες, ad ripam Strymonis delatus docuit, mulierem

gnaram rationis texendi tapetes erudijt de Chriſto & conuertit: & pythoniſſam à Spiritu immundo liberauit.

Cum D. Paulus Romam duceretur, angelo nuncio inſomnis, omnes naufragos ipſius cauſa futuros incolumes audit. Act. 27. Iohannes Apoſtolus & Euangeliſta Apocalipſin vidit in ſomnis, vt ſentit Sedulius. De eadẽ verò Prudentius ſic inquit. Euangeliſta ſummi fidiſsimus magiſtri ſignata quæ latebant, Nebulis videt remotis. Euangeliſta ipſe cap. 1. & 4. ſe fuiſſe ait, ἐν πνεύματι, id eſt, ἐν ἐκςάσει: de quo dubitat tamen Euſebius Eccleſiaſt. Hiſt. lib. 3. an. 25. & Iohannem præsbyterum Apocalypſeos autorem facit, cap. 39. Iohanni Apoſtoli, Apocalypſin aſcribit Iuſtinus philoſophus & martyr. lib. 4. c. 18.

Hæc ſomnia, cùm, excepto ſomnio Alexandri, habeant expreſſum ſacræ ſcripturæ teſtimonium, confirmataq́ ſint quòd à Deo oriantur, cumq́ euentus eis fidem faciat, diuina ſunt, nõ oblata cuiuis, non curioſis, non curioſè captantibus, de rebus non ludicris aut friuolis, ſed de rebus maximis & grauiſsimis, de Chriſto, de Eccleſia, de Eccleſiæ conſeruatione, de ſucceſsionibus & mutationibus atq́ periodis Imperiorum, non caſu nata, non è cauſarum naturalium & ex ſeſe mutuò cohærentium connexione, ſed Dei nutu & prouidentia.

## Cap. 6.

### *De ſomnijs Diabolicis.*

Somnia Diabolica.

Diabolica Somnia autores habent diabolos, ſpiritus malos & impuros, eorumq́ naturam ſequuntur: ſi enim, mendacijs & cæde gaudentes, humani generis vel ἀλλαξίαν horrendam machinantur, vel πανωλεθρίαν: & tum vigilantium animis per aures ſe inſinuantes, & phantaſiæ operationibus

tionibus immiſcentes, veneno homines ſuo inficiunt: tum obſcæna ſimulacra, ſpecieſq́ impuras, gaudia inania, metus vanos, ludibria varia & multiplicia, mentibus dormientium obijciunt, quibus incauta & leuia ingenia à veritate ad uanitates detorqueantur, & intereant dubitationibus et peruerſitate implicita. Quare ſobrij ſimus et attentè vigilemus, ne ab aduerſario noſtro, qui eſt Sathan, circumeunte nos more Leonis, & quærente quem deuoret, circumueniamur. Vigilandum eſt enim ſemper, quia multæ inſidiæ bonis ſunt & his quidem maximè, Et cum quo certet mens pia, ſemper habet,

Nec enim aut ſocors eſt diabolus, quia terram perambulat: aut imperitus, cui nomina mille, mille nocendi artes: aut ſimplex, qui Mille per Mæandros agitat quieta corda. Vtitur autem duobus ferè inſtrumentis, Ocia & crapula, quibus humores & ſpiritus contaminantur, & cogitationes turpes, libidineſq́ inflammantur. Eſtq́ vertumno quouis magis verſatilis, & omnium hominum naturis atq́ ingenijs ſe accommodat, Polypo mutabilior, multiformis ille proditor, vt nominatur à Prudentio. Etiam ſolertes, & non omnino incautos, tandem machinis ſuis ſupplantauit & euertit: ſapientibus faſcinatis nebulam obduxit, vt à vero ad falſum deflecterent. Nec mirum id videatur cuiquam, quia, cum ſit hoſtis ἄσπονδος humani generis, non quieſcit: Eſt potens, & multorum ſeculorum vidit conſultationes: non ignorat corporum atq́ animorum diſpoſitiones, eorumq́ organa introſpicit, atq́ naturam, mores, educationem, ingenia: è quibus multa ratiocinatur. Itaq́ ſicut mouet τὸ φανταστικὸν, & inſpirat furores & libidines, ita etiam ſomnia ciet, atq́ interpretatur, neq́ miniſtris deſtituitur, nec interpretibus.

Poſſe

Poſſe verò præſentire futura dæmonas, Auguſtinus demonſtrat libro de diuinatione Dæmonũ: Primùm, quia aëre corporis ſenſu, terrenorum corporum ſenſum facilè præcedunt: Sunt enim ſpiritus. Deinde, celeritate ſuperant non hominum tantum curſum, ſed ferarum quoq; & volucrum: Acrimonia igitur ſenſus multa præuident & prædicunt, multaq; mira faciunt, homini non imitabilia, quæ omnes præ terreni ſenſus tarditate mirantur. Præterea acceſsit per tam longum tempus, longa experientia: Hominum autem vita breuis eſt. Adhæc ea ſæpe prænunciant, quæ ipſi ſunt facturi: Accipiunt enim ſæpe poteſtatem morbos immittendi, & aërem viciando morbidum reddendi, & ſuadendi malefacta, peruerſis atq; amatoribus terrenorum commodorum, de quorum moribus ſunt certi, quod ſint eis talia ſuadentibus, conſenſuri.

Suadent autem miris & inuiſibilibus modis, per illam ſubtilitatem ſuorum, corporum, in animos hominum non ſentientium penetrando, ſeq; cogitationibus eorum per quædam imaginaria viſa miſcendo, ſiue vigilantium, ſiue dormientium. Aliquando non quæ ipſi faciunt, ſed quæ ex naturalibus ſignis futura prænoſcunt, quæ ſigna in hominum ſenſus venire non poſſunt, antè prædicunt.

Aliquando etiam hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm ſigna quædam ex animo imprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt, atq; hinc multa futura prænunciant, alijs videlicet mira, qui iſta diſpoſita non nouerunt. Cum itaq; ſenſu, corpore aëreo, celeritate, longi temporis experientia valeant dæmones, & homines antecellant, cùm multa permittantur facere: cùm ſignorum non ſint imperiti naturalium, cùm deniq; temperamenta, mores, naturales inclinationes hominum,

num, diuturna conſuetudine habeant perſpectas, non eſt admirandum, ſi quid interdum prænuncient futurum, antequam eueniat.

Falluntur autem non rarò, quia cum ſuas diſpoſitiones pronunciant, ex improuiſo deſuper aliquid iubetur, quod eorum conſilia cuncta perturbet. Falluntur interdum cauſis naturalibus, ſicut nautæ, medici, agricolæ, quia ab angelis hæ ſæpe mutantur: Fallunt etiam ſtudio fallendi & voluntate iuuida, qua hominum errore lætantur: Tribuunt autem culpam erroris interpretibus, ne apud cultores ſuos pondus autoritatis amittant.

Nonnunquam etiam ſolent prædicere defectum culturæ ſuæ, & idolorum ruinas, vt ſponte cedere videantur, non coacti, aut ne erroris autores habeantur.

Hæc fermè Auguſtinus.

Etiamſi autem ſuam habeat diabolus, & prætextum religioſum, tamen ſemper latet anguis in herba. Nam noui quid importat religioni veræ contrarium, ad excitanda ſcandala, cædes, ſuperſtitiones, oppreſsionem doctrinæ, idolomaniam in incredulis, & ſuperſtitioſis quos dementat, Itaq; nos Deus alligauit verbo, vt inde petatur ipſius voluntas, non ex raptibus, vt Anabaptiſtæ, & alij phanatici.

Quorſum itaq; tendant, & quid moliantur diligenter eſt conſiderandum, ne in pietatem delinquamus, ne nobismetipſis in interpretatione aſſentemur, ne ad cupiditates nimia confidentia detorqueamus, & ex πολυπραγμοσύνη, tentemus exitioſa nobis aut alijs. Cauendum eſt quoq;, ne grauentur corda cibo, potuuè: Orandumq; piè, viuendum in timore Domini, Ita fiet vt diabolo aditus intercludatur, affectuum malicia retardetur, & animus à turpibus auocetur.

Artabanus Xerxis patruus aduerſus Mardonium θρασύδειλον, & temerarium ducem, qui contra Græcos regem incenderat quid conſuluerit, Dario patri Xerxis recenſet: neq; ſe neq; regem erraſſe, additq; grauiſsimam ſententiam de pœnis ſuperbiæ inſolentis & calumniæ. Hoc conſilium cum noctu rex veluti recoqueret, huc atq; illuc in omnes partes animum verſans, bello ſuperſedendum deprehendit, Sed obdormiſcens, ingentis corporis & ſpeciei virum aſpicit, Qui, Reuocaſtine, inquit, ſententiam Perſa, & de bello Græcis inferendo conſilium, cùm Perſis denunciaueris, comparaturum te exercitum, neq; ſi reuocaueris, rectè facis, nec qui te ſequatur, quisquam erit.

Hoc conſilium cùm nihili penderet, Erat enim obtemperaturus orationi Artabani ſapientiſsimæ, & conſilio vtiliſsimo, nocte ſequente idem ei ſomnium offertur: Videris, fili Darij, expeditionem omiſſurus, me contempto: Itaq; tibi affirmo, tu animis intimis repone: Niſi abſq; cunctatione moueris exercitum, vt breui amplitudine & potentia creuiſti, ita breui humilis eris & dignitate deijcieris. Hoc conſilium Artabanus cum à Deo profectum negaret, ſurdo narrabat fabulam: Conſueuerunt, inquit, ſomniorum viſa plerunq; fruſtrari homines, ob ea, quæ interdiu animo agitantur. Superioribus autem diebus de expeditione et ratione belli deliberaſti, animo in diuerſas partes diſtracto, Itaq; non eſt, vt ſomnio mouearis. Nihil agit Artabanus. Nam in cubiculo regio, Xerxis ipſius mandato, dormire iuſſus, ſolio inſidens, & veſte indutus regia, illud ipſum ſomnium videt. Quo admonetur, fatale eſſe hoc bellum & ineuitabile. Eſtq; Artabano minari viſus vir, ruiturus candentibus ferramētis in oculos ipſius. Territus igitur retractat ſententiā. Quia inquit, fatale eſſe video, vt Græci clade afficiantur, à ſuperis deſtinata, Ego quoq; cedam.

Bruto

Bruto cædem Cæſaris ſecum voluenti, & bellum ſpiranti, dum Luna in nimbo lateret, imago dira illuuie, promiſſa barba, comis dependentibus in Philippicis ſe videndum dixit. Auidus procreandæ ſobolis viſus eſt ſibi occurrere debitori, & debitum accipere, & debitori dare apochen, receptæ pecuniæ teſtimonium. Tum Serapis conſultus reſpondit, Non erunt tibi filij, Qui enim apochen exhibuit, vſuram nõ accepit. Luſit autem diabolus ambiguitate nominis, nam τόκος tum partum ſignificat, tum vſuram. Brutus.

Meſſeniorum dux & inſtaurator Epiteles, à Lacedæmonijs (de qua re Iuſtin: lib. 3.) eiectorum, iuſſus eſt vt quocunq; Ithoniæ loco taxum enatam, myrtumq; inueniret, terram in harum medio egereret, & anum æneo thalamo incluſam, iamq; expiraturam liberaret. Locum Epiteles inuenit, terra egeſta, vrnam videt æneam, operculum amouet, album plumbum in tenuiſsimas laminas inſtar libri complicatas cõſpicatur, cui inſcripta erant ſacra Magnorum Deorum. Noluit diabolus aboleri ſacrificia illa impia, aut ſuum regnũ imminui.

Valerius Maximus lib. 1. cap. 5. Ea nocte qua contra Latinos acies inſtruebatur, vtriq; conſuli P. Decio & T. Manlio Torquato, aduerſus Latinos mouenti, non procul à radicibus Veſuuij montis caſtris poſitis, vir oris auguſtioris dixit, ex altera acie exercitum, ex altera Imperatorem dijs manibus, matriq; Terræ deberi.

Vtrius autem dux pro exercitu ſe deuoueret, eam fore victricem. Deuouit ſe Decius, & victoriam ſuo exercitui peperit, Fortitudinem amat Deus in bellis, & cauſam armorum iuſtam, non cædem & ſanguinem temerè effuſum.

Diabolicũ eſſe inſtinctum, dubitari non debet, cuiusmodi illud Virgilij VII. Aeneid. ſomnium, quo Turnum Alecto furia, anus formam induta, Iunonis iuſſu ad arma impellit,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

& ad vltionem extimulat, aſpere & contumelioſe repulſa, in furorem vehementius agitur, Turnoq; horrorem inijcit, & planè eum immutat oculis, facie, vultu, & iniectis ſerpentibus, in rabiem vertit, vt ſomno excitatus in arma præceps ruat.

Tendunt eodem omnia ſomnia diabolica, ad cædem ſcilicet & interitum animæ atq; corporis, vel corruptelis doctrinæ veræ vel vita impia & flagitioſa, quibus perturbatur curſus vocis cœleſtis, & ſocietas humanam euertitur.

Specioſa quidem diabolus promittit, & male munitos aduerſus callidas artes capit, ſed exitus triſtis eſt & calamitoſus. Impium eſt ſomniū Sergij Galbæ, qui cum monile gemmis maximi precij ad ornandam fortunam ſuam Tuſculanam, ex omni gaza ſecretum, Capitolinæ Veneri dedicaſſet, proximè ſequente nocte ſomniauit ſpeciem fortunæ, querentis fraudatum ſe dono deſtinato, minantiſq; repetituram ſe, quæ ipſi dediſſet. Exterritus Tuſculum abijt, in ara nihil inuenit, præter tepidam fauillam, atratumq; iuxta ſenem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum: Occiſus eſt paulò pòſt.

Eiuſdem rationis eſt hoc Auguſti, qui, vt Plinius lib. 34. cap. 8. Apollinem, quem Myron, nobilis ſtatuarius fecerat, à triumuiro M. Antonio ſublatum, reſtituit Epheſijs, admonitus inquiete: Eodem pertinet Caſsij Parmenſis ſomnium, qui victo ad Actium promōtorium, pugna nauali, M. Antonio, & Cleopatra regina Aegyti, quæ Romano imperio inhiabat, Athenas fuga delatus, & animi ægritudine curiſq; confectus, hominem corpore prægrandem, colore nigrum, barba ſqualidum, capillo demiſſum, nocte concubia oculis obuerſantem interrogat, Quis aut unde? Ille ſe eſſe reſpondit κακοδαίμονα. Quærens à familia, numquis eo habitu domum ingreſſus

ingreſſus eſſet, neminem reſciſcit. Tradens itaq; ſe iterum quieti, rurſum videt idem ſpectrum, experrectusq; lumen inferri iubet, Non autem longè pòſt, eſt à Cæſare Capitis ſupplicio affectus.

C. Grachus quæſturam petens, Tiberij Grachi fratris effigiem vidit, dicentis: Quàm vellem cunctaretur, tamen eodem letho, quo ego perij, peribit, neque fatum euitabit.

Odit Deus ſeditioſa conſilia, nec ad turbas concitandas impellit quenquam.

Auguſtus conquerente in ſomnis Ioue Capitolino cultores ſibi abduci, quòd dedicatam in Capitolio ædem Ioui Tonanti, aſsiduè frequentaret, Reſpondit: Tonantem pro Ianitore ei appoſitum: mox igitur tintinnabulis faſtigium ædis redimiuit, quòd ea fere ianuis dependebant. Sueton.

Idem è nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum aſſes porrigentibus præbens. Templum Iunonis Soſpite L. Iulius con. refecit è Cæciliæ Balearici filiæ ſomnio.

Anceps & ludibrij plenum Amilcaris Carthaginenſium ducis ſomnium eſt, qui in obſidione Syracuſarum vocem audiuit dormiens, Proxima ipſum die in vrbe cænaturum. Cænatus eſt, ſed longè alia ratione, quàm opinatus fuerat. Nam poſtquam propius ad vrbem caſtra & exercitum admouiſſet, ſpe eius potiundæ, orta inter Siculos & Pænos diſſenſione, & caſtris oppreſsis in vrbem vinctus pertractus eſt.

De Aſpaſia Aelianus Variæ Hiſtoriæ lib. 12. cap 1. ſcitum quidem refert ſomnium, ſed verè ſuperſtitioſum, ad confirmandum numen Veneris, in contumeliam veri Dei, & ad perdendam domum regiam. Memorat autem Aſpaſiæ, quæ vxor primùm fuit Cyri Iunioris, pòſt illo perempto in præ- Aſpaſia.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

lio aduerſus fratrẽ in Cunaxis, facta Artaxerxis Mnemonis, pellex, inter cæteras 360. tuberculum in mento enatum, nullis potuiſſe ob inopiam tolli medicamentis: ſublatum verò tandem, poſtquam ſomnio admonita eſſet, vt ſerta roſea in puluerem contrita, quæ roſæ Veneri conſecrabantur, tuberculo imponeret. Forma inde præter cæteras omnes liberali & ſummè venuſta, εὐχαριστικὰ Veneri ſoluit, ſtatuamq; poſuit, et iuxata ſtatuam colũbam pictam, nec vllum paſſa eſt diem præterlabi, quin & ſacraficijs & ſupplicationibus Deum veneraretur. Male autem fauſta fuit hæc pulchritudinis præſtantia: nam præter quàm quòd in libidinem incendit reges duos fratres, domum regiam duriſsimè afflixit, quòd Darius, Arſicæ cognomento Artaxerxis Mnemonis filius, iuſſus petere conſuetudine Perſica à patre quidquid vellet, libidinoſè Aſpaſiam popoſcit: Quam cùm ſibi ex legibus Perſarum datam, ſed paulò pòſt Dianæ ſacerdotio deſtinatam, parricidio repeteret, et præterea cõſpiraſſe cum Tiribazo deprehenderetur, conſiliariorum ſententia capite mulctatus eſt.

Auarus. Scribitur de quodam, cui longæuitas in ſomno promiſſa fuerat, quòd multa per fas nefaſq; acquiſiuerit, vt haberet vitæ adminicula, quàm bene partæ opes eſſent, nihil quicquã penſi habens: modo compararet vitæ diuturnæ ſubſidia.

Verùm luſus à diabolo ἐπιχαιρεκακῶ more conſueto, ſpe citius diuino iudicio obrutus, ſubitò eſt extinctus. Pollicetur diabolus plauſibilia, ſed exitu acerba: & nouit naturas hominum aliorum ad alia ſcelera magis procliuiores, dignaq; tali euentu eſt auaritia.

Ageſilaus. Ageſilaus Rex Lacædemoniorum 20. Archidami F. cui res geſtæ cognomen fecerunt Magni, in Aſiam iturus contra Tiſſaphernem, iubetur in Aulide immolare virginem Dianæ, Non autem imitaturus inconſideratę temeritatem Aga memno-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

memnonis, Iphigeniam filiam aris deſtinantis, ceruam coronis redimitam immolauit.

Stabulum Munzerus, tuba illa ſeditioſorum ruſticorum anno vigeſimo quinto, muribus refertum vidit, ſed capite carentibus, & in medio eorum regem, capite itidem truncatum. Id cum eſſet dubiæ interpretationis, pro ſe ſuiſq; complicibus interpretationem finxit: Se futurum uictorem, omneſq; magiſtratus euerſurum, non aliter ac gladio Gideonis Madianitæ territi ſeſe mutuis vulnerib. confeciſſent. Sed ſeipſum decipit, fraude Diaboli: nam ea ſeditione, quam ruſticorum ſeditioſorum cohors, furijs agitata, contra magiſtratum legitimum, ordinationẽ Dei concitarat ſine capite, ipſe eſt capite multatus, ruſticorum autem multa millia miſerè cœſa interierunt. Munzerus

Poſtquam ludis plebeis Circenſibus, quos latinos appellarunt, bello Latino votos à Dictatore A. Poſthumio, pompa induceretur, paterfamilias Antonius Maximus, vt refert Lanctantius, per circum Fluminium ſeruum ſub furca ad ſupplicium, verberibus cœſum egit &c. Sulpitio Camerino, Sp. Largio Flauo coſs. voces ominoſas ſeruo emittente, & geſtus miſerabiles, atq; indecoros edente. Tum homo Latinus ex plebe iuſſus eſt à Ioue Capitolino dicere conſuli, Ludos magnos votiuos vicio factos denuo inſtaurandos, diſplicuiſſe enim Deo præſultorem & adhibendam expiationẽ niſi velint incidere in periculũ. Veritus Tiberius Attinius (hoc enim nomine appellatur à Lactantio lib. 2. c. 8. de origine erroris) id indicare conſuli, quia inane videbatur ſomnium atq; vulgare, & volebat cum religione ſummum implicare imperium, cum ſuo incommodo primum filium amittit, nec morbo correptum, nec ulla manifeſta mortis cauſa apparẽte. Tũ iterum ſpeciem Dei irati vidit, malũ minantis niſi pareret: Sed cum homo ruſticus et ſenex ſenatum et riſum vereretur, Tiberius Attinius

pœnam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

pœnā ſibi imminere audit & mortem. Lætus itaq; finem vitæ, vitæ ſatur, expectat. Verum longè aliam pœnam experitur, dolores videlicet omnium membrorum et cruciatus grauiſſimos. Adhibet amicos in conſilium, rem geſtam narrat, inter narrandum doloris mitigationem, ſentit: narratione abſoluta electica ſurgit. Tum ad conſulem delatus, & rem non diſsimulandam ſuſpicans, valetudinem recuperauit. Lactantius hoc ſomnio vim deorum oſtendi ait, ſed quia plenum eſt ſuperſtitionis, hoc in loco rectius fortaſſe ijs, quibus idolomania ethnica fuit ſtabilita, annumerabitur.

Non eſt multum horum diſpar illud, quod de Diuo Hieronymo refertur, qui viſus ſit ſibi raptari ad tribunal Dei, ibiq; flagris cædi, quòd ſcripta legiſſet ethnica, imprimis Ciceroniana. Fictum eſt ſine dubio, à quærente occaſionem & materiam ocij, & prætextum inſcitiæ ſuæ.

Huc referantur ſomnia veneficarum, Cuiuſmodi eſt Marcomiri Antenoris, anno mundi 3522. cæſi, Scytharum regis filij, qui deliberans de deſerenda Scythia, in qua à Gothis, (ij Getæ ſunt, paludis Mæotidos accolæ) bellis continuis vexabantur, & de quærenda ſede tranquilliore cogitās, factis ſacris, eam maris partem accedere iuſsus eſt, qua Rhenus in mare ſe exoneraret. Inq; ea ſententia confirmabatur à venefica, cuius artibus factum eſt, vt Marcomiro ſpecies per quietem offerretur, dij tricipitis, quorum capitum, vnum erat aquilæ, alterum ranæ rubetæ, tertium Leonis. E quibus aquila, vna inquit, progenies me ſibi ſubijciet & Leonem contritum pedibus ſupponet, rubetam necabit, id eſt, ſuperior fiet, Romanis, Gallis, Germanis, Occupauit Geldriam, Hollandiam, Sicambriam ad oſtium Rheni ſede fixa, gens eius dicta à Saxonibus Neumagen, id eſt, noui cognati.

Præſtigiator quidem magiæ gnarus, ſomnium Tiberio immiſit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

immiſit, quo bis iuberetur illi dare argentum; Sed fuit deprehenſus præſtigiator & interfectus.

Francofurdi ad Oderam fluuium, puella quædam dormiens in æſtate ſub arbore, vocem audiuit: Surge, tibi magne, ſurge, dabuntur opes, vt ſcribit Sabinus. Excuſſo ſomno virum conſpicit, allicientem illam ad ſe amandum, promiſsis omnibus opibus & theſauris tellure reconditis. Annuit virgo, ſed ſubito viri forma eſt mutata: factus enim fuit oculis grandibus, & igni ſcintillantibus: in fronte cornibus toruis & minabundis. Puella in furorem verſa eſt, & ſenſibus orbata, & catenis vincta: Et ſe Plutonis opes curare ait, factamq; eius promam: aurum, argentum, æs ſignatum cuſtodibus exhibuit, &, niſi inhiberetur, vorauit.

Huc itidem ſomnia pertinent ementita, quale eſt lib. II. de ſermone apud Pontanum, fratris Franciſci Hiſpani, hominis rudis, audacis, ambitioſi, qui ſe ab angelo docere dicebat, & eius monitu futura prædicere, quicq; in cœlo eſſent, qui apud inferos, ſcire, vt Iudæos exterminaret è regno Ferdinandi Neapolitani, hoc iniijt cõmentum: E plumbo tabulam, Diui Cataldi nomine inſcriptam, haud procul Tarento in ſacello ſemidiruto occuluit, ſub pariete: triennio pòſt, eruit corrupto ſacerdote, qui diceret in ſomnis ſe vidiſſe Cataldum, monſtrantem, quo in loco tabella occultaretur, vtq; ſolenni pompa ſacerdotum & populi effoderetur, & delata ad regem, vni amicorum regis fidiſsimi res crederetur: Erat autẽ per ambages ſcriptum, Iudæos exterminandos, quod ni fieret, iram Dei & calamitates metuendas. Sed fraus detecta fuit, non aliter ac Flauitæ ſiue Frabitæ circa annum Chriſti 492. qui ambiens dignitatem patriarchatus in Eccleſia Conſtantinopolitana, cum Zeno Imp. Acacio mortuo, chartam puram in altari collocaſſet, & à Deo petijſſet, vt manu

angeli nomen eius, quem Eccleſiæ præfici vellet, exararat, indictis ieiunijs & dierum 40. ſupplicationibus. Tum igitur Frabitas Eunuchum, cui templum & charta obſignata, commiſſa erat, pecunia corrupit, quamuis acerrime primum, repugnantem, & dignitatem eſt conſecutus, ſed non tenuit vltra tres menſes cum ſemiſſe, ſubita enim morte eſt extinctus, & dolo prodito, Eunuchus obtruncatus.

Bonifacij Turingorum Apoſtoli ſomnium, non diſcernit libertatē ciuilem ab Eccleſiaſtica, tollens perſonarum diſcrimina, & magiſtratuum officia damnans more Anabaptiſtico. Vult enim omnes eſſe liberos ad quod acquirendum in terras venerit filius Dei, non igitur dandas decimas regi Vngarico, ſub cuius erant dominatu, tempore Pipini Franci, & Zachariæ Pontificis Romani. Erat autem Anglus Bonifacius cætera vir bonus & ſāctus, qui cōuertit Heſſos, Turingos, Francos, Vueſtphalos, factus tandem Epiſcop. Mogūtinus.

Prætereo ſomnia ludicra, hiſtrionibus etiam non ſatis digna et turpia atq; obſcœna, à quibus ſanæ mentes, et caſtæ aures, etiam extra Eccleſiam abhorrent: Qualia memorat Poggius Florentinus omnino ſpurca, & in lupanari prognata: Vt eſt illud de Franciſco Philelpho, quem zelotypias arguit, qui à dæmone iuſſus fuerit inſerere digitum annulo, quem tunc gerebat: ita non metuendum, ne adulteretur coniunx: inſeruerat autem digitum τῇ φύσει coniugis. Et alterum de eo, qui viſus ſibi aurum reperiſſe, id conſilij accepit à dæmone, vt ſignaret locum, ventris onere egeſto, quo facto, lectū coinquinauit. Repugnāt hæc pietati religioſæ et bonis morib.

Atq; de ijs ſomniorum generibus hactenus, quorum cauſa eſt ſpiritualis. Eaq; ſunt vel à Deo immiſſa, ad ſalutem hominum, idq; aut ſine medio, aut miniſterio angelorum bonorum, vel immiſſa à diabolo: Et hæc quidem duūm quoq; ſunt

generum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

generũ,vel enim ſunt petita et poſtulata,quorũ cauſa in templo Paſipha:s, Veneris &c.excubabant: aut ad ſepulchra, in ſepulchris,in lucis,ea aucupabãtur: vel erant ἀπροσδόκητα,quæ præter ſpem & expectationẽ ciebantur in his, qui ad ea,quæ moliebatur Sathan,vicia patranda, & ad impietatem,naturæ ductu, aut leuitate à ſuperſtitionibus orta,proni ferebantur. Omnium verò in vniuerſum ſomniorum, cuiuscunq; ſunt generis,ſiue diuina,ſiue diabolica,ſiue à temperamentis orta, ſiue ab actionibus animæ proprijs nata, alia ſunt ἀλληγορικὰ, quæ obſcurè per inuolucra.ænigmata,figuras rem futurã dormientium animo obijciunt,& quaſi picturis adumbrant: Alia ſunt θεωρηματικὰ,in quibus ita offertur, quod eſt futurum, vt eſt ſua natura,vt Matth. 2. Ioſephi,Item Antonij Muſæ quibus ſine figuris res demonſtratur, & imaginationi occurrit, ſimpliciter, qualis eſt.

## Caput VII.

### *De Somnijs Naturalibus, eorumq́ diuerſitate.*

Accedemus nunc ad ea,quorum ortus & cauſa eſt in natura poſita,fiuntq; ex naturali ratione,ſecundum cauſarum varietatem, quæ tam turpe eſt negare, quàm damnoſũ negligere. Quæq; non parui faciunt Galenus & Hippocrates,qui nec alia contempſerunt, vt inquit Cardanus. *Caput vii. Somnia Naturalia. Eorumque varietas.*

Ea verò aut ex aſtrorũ vi et influentia cœleſti oriũtur: Abſit enim ea impudentia, imperitiæ comes, vt nobiliſsimis illis corporibus,omnisq; ferè mutationis expertibus, vim adimamus,et operationẽ agendi in hæc inferiora, id quod Çynicis impudẽtiores nonnulli facere auſi ſunt, etiã noſtro ſeculo. Omnino corpus et anima,anima autẽ maximè,quia cælo magis cognata eſt,ab influxu cœli mouetur,et ſicut in metallis,lapi-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

plantis diuerſæ formæ imprimuntur, ſic eâdem virtute effingi poſſe non dubium eſt in potentia phantaſtica, ſimulacra, quibus futura adumbrantur. Sicut enim aër ad immutationem diſpoſitus, & ambiens corpora, hæc variè immutat, & fumi, è culina aſcendentes in caput, atq; reſoluti, nouas faciunt in cerebro impreſsiones: Sic aſtra & corpora cœleſtia, vi abdita & latente in hominum corpora influendo, corpora alterant, & imagines ſeu ſpecies ijs qualitatibus à quibus cientur conformes in capite efficiunt. Si enim ſydera in corpora ſæpe inducunt ſterilitatem, debilitatem, morbos, nonne mentibus humanis, cum quibus maiorem cognationem habent, qualitates infundant, vt etiam in ſomnis talium rerũ imagines concipiant de debilitate, de ſterilitate, tam corporum quam terræ, & his ſimilibus? Atq; huc referunt quidam ſomnium ſplenetici, ſomniantis, ſi ter biberet vrinam, conualiturum, Et Calpurniæ præuidentis cædem mariti, quæ nihil ſuperſtitionis habent.

Deinde ſomniorum naturalium cauſæ ſunt diurnæ cogitationes. Ita enim fit plerunq; vt quæ interdiu animus voluit, & ſecum huc atq; illuc verſãdo agitauit, ea ſub noctẽ dormiẽtibus recurſitent. Nam vt Iſacius Zezes, adducens verſus Alcæi inquit: ὅτι οἱ δινωθέντες, τὰ τοῦ λογισμοῦ ἀπόῤῥητα ἐκφαίνουσιν, ὅθεν καὶ ὁ Ἀλκαῖος φησὶν, οἶνος γὰρ ἀνθρώποις διόπτρον: ita animæ vis in ſomnis ſeſe explicat, & prodit, repetendo & reuoluendo viſa, audita & cæteris ſenſibus percepta. Et ſicut ex motu etiam corpori inhærẽt reliquiæ, id quod accidit vectis, equo, naui, curru, qui cum ſopiuntur moueri ſe arbitrantur reſiduis αἰσθητοῖς (ea ſunt, quæ ſenſus mouent, & ſub hos cadunt) in ſenſibus exterioribus, qui ſunt nuncij interiorum: ita quæ mens interdiu voluit, noctu reciprocant, Hinc cauſidici lites, aurigæ ſomnia currus. Qua de re ἐχπίδες τῶν γρηγορηκότων ἐνύπνια dicun-

dicuntur Græco prouerbio, quo ſignificantur ij, qui vehemẽti aliquo affecti detinẽtur: ὀναροπολοῦσι γαῦρ τὸ ἐπιθυμούμενον: Et Virg. VIII. Eclog. Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt. Et Tryphiodo in ἰλίου ἅλωσις: τόδε δ', ὀψέ περ ὥς ἐν ὀνείρῳ λαθρίδιον στενάχουσα φίλης μεμνήσκετο πάτρης. Obiecta autem variant ſomnia: alluditq; eodem poëta, apud quem Simotha, amore Delphidis Myndij perdita, Theſtylidi famulæ conqueritur: οὐδ' ἔτι φωνῆσαι δύναμαι, οὐδ', ὅσσον ἐν ὕπνῳ κνυζῶνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ μυτέρα τέκνα.

3. Tertiò reſpondent ſomnia certis humoribus eorumq; redundantiæ & defectui, qui monent imaginationem ſeu ſpiritum, quos vocant συγκραματικοὺς ὀνείρους. Cum enim fumi exhalant ex humoribus, qui propter calorem & agitationem nunquam non exhalant, & cerebrum feriunt, atq; organum phantaſiæ, tunc imago humori ſimilis fingitur, ſicut in guttis de ramis arborum dependentibus, pro varia diſpoſitione, radijs ſolaribus in eas coniectis, alij atq; alij colores apparent.

4. Quarto ex complexione corporis. Eo autem modo quo temperamenta etiam corporis variant, variant & ſomnia temperamentis reſpondentia. Hinc ſanguinei, naturam temperamenti ſui ſecuti, ſomnia habent læta, amœna, iucunda, muſica, ſaltatoria.

Cholerici contentionibus inquietantur, litigant, dimicant, flammas & ignem vident, volant, diſcurrunt, vociferantur, claſsicum canunt, Melancholicorum ſomnia monſtroſa ſunt, terribilia, triſtia, timent ceruici imminens, vt putant, periculum. Res offeruntur illis nigræ, turpes, immundæ, fœtidæ, fumoſæ, quale illius erat, qui videbatur oletum in propinato cantharo porrigi. Hoc tamen nolim ſimpliciter intelligi, ſed diuerſimodè; pro diuerſitate videlicet huius temperamenti.

Phlegmatici ſomniant pluuias ,niues , aquas, ſubmerſiones, potant, liquorem hauriunt, ποππισμὸν cibo aut potu iucundiore delectati edunt.

5. Quinto oriuntur ex inanitione ventris & cerebri. Nam famelici inter dormiendum edunt,ſiticuloſi bibunt, aut potū appetunt: vt memini ſtudioſum quendam,morbo affectum, poſtulare,vt ſibi mortuo ad ſarcophagum apponeretur vrna aquæ plena.

6. Sextò è nimia repletione cibi & potus, qualia ſunt helluonum,potatorum, bibulonum, ebriorum, lurconum, comedonum.

7. Poſtremo è cerebri perturbatione, vt ſunt eorū, in quibus panniculus diaphragmatis ad phreneſin, aut caput & cerebrum diſpoſitum eſt, ad μανίαν.

8. Huc etiam referunt à temperamentis ciborum orta,item medicamentorum, vt ſunt fabæ, lentes, muſtum: Item alia vaporoſa, flatulenta, acria, fætida: quæ tamen & vſu miteſcunt, & in alijs alijsq́ corporibus minus habent virium. Hæc paucis ordine videamus, ſic tamen, vt quæ animæ propria ſunt, & ab aſtris, quæ animæ cognata ſunt, excitantur, in locum poſtremum reijciamus.

E cogitationibus diurnis, quas anima, corpore in ſomnū reſoluto, retractat, verſat, agitat, nonnunquam à memoria remotiſsima,repetit,& promit, mirificas ſpecies & totas ſæpe hiſtorias fingit, ſomnia originem ſumunt varia, de quibus Eccleſiaſt. cap. 5. Multas curas ſequuntur ſomnia. Atq; hæc ἄσημα ſunt et ἀσήματα porta ſecundum Homerum et Maronē egreſſa eburnea, quæ occaſionem dederunt prouerbio, quo hominem inertem & futilem appellamus ſomnium,Et ab his ὀνείρατα λέγειν, Luciāo eſt,nugari inutilia: Sic ὅσα ἐν ὀνείρῳ βλέπεις de votis immodicis, ex nimia cupiditate. Et Cic. in Salluſtium ſom-

um ſomnio beatum dicit,& ſomnium hibernum de oratione narrationis prolixe,ſed ineptæ,quod hyeme ſunt noctes longæ. Nihil enim futuri ſignificant hæc ſomnia, ſed reliquiæ ſunt actionum & rerum earum, quas vigilantes fecimus, diximus, cogitauimus, conſultauimus, in quam ſententiam adoleſcens Terentianus in Eunuch. act. 1. Sc. 2. Me ſomnies, me expectes, de me cogites.

Primũ enim, quæ ſenſus communis ab exterioribus ſenſibus oblata, percipit, per ſpiritum animalem in priori parte anteriorum ventriculorum cerebri. Deinde quas imagines rerum à ſenſu communi acceptas,abſentes etiam,diligentius recognoſcit,examinat,exercet φαντασία(quæ eſt τῶν φανέντων στάσις, οἱονεὶ φαοστασία τισ οὖσα,Secundum Philonem:quòd in ea rerum imagines φαντάσματα relucent, in poſteriori parte anteriorum ventriculorum cerebri: easq; inter ſe confert & æſtimat, phantaſtico ſpiritu iam ante intenſo, vt retractet & cognoſcat ſpecies ſenſibiles,quæ in ipſo non aliter ac in ſpeculo polito relucent.Quæ deniq; διανόησις ex collatione ſpecierum conſtituit diſcrimina, & non ſolum inter ſe diſcernit:Verum etiam alias antè perceptas & cognitas componit, diuidit,aliud ex alio ratiocinatur, methodoq; vel Synthetica examinat, vel via procedens & ordine inuerſo, analytica: Ea, inquam, omnia, anima, quieſcente corpore, & non tantas animæ moleſtias exhibente,quantas exhibet interdiu, ſecum reuoluit,inhærentibus notionibus & idolis rerum, & affectionem firmiter imprimentibus ſenſorijs, tum quoq; durantem, cùm ſenſus externi feriantur, & obiecta, quibus illi mouebantur, amota ſunt, ſurſumq; deferuntur ad fontem & originem neruorum. Vt enim qui fluuium intuentur,celeri curſu raptum,ijs ea moueri & fluere videntur quæ immobilia ſunt et ſtant fixa:Sic etiamſi receſſerunt ſenſibilia,& obiecta,quibus oculi mouebantur,tamen ſenſibilia permanent.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Et ſicut telum, vi aliena impulſum, aut lignum & lapis in aërem emiſſus: & aqua agitata tum quoq; mouetur, quando abeſt id, quod mouit aut impulit: Vt ex ſono æris acute tinnientis, ſoni reliquiæ in auribus manent: Vt Echo vox impingens reſilit: Vt ab igni calefactus aër ſibi contiguum calefacit: Vt intuentes colorem excellenter candidum, aut purpureum, oculis etiam ſublatis, obiectis eundem retinemus: aut cum è ſole in locum obſcurum deferimur. Ita ex obiectis ſenſuum, interdiu vigilanti oblatis, retinentur: reliquiæ, & notæ atq; veſtigia in ſenſuum organis, neruis & ſpiritibus, quæ deferuntur ad phantaſiæ organum & mentis ſedem, & vtramq; afficiunt. Et cùm ab externis obiectis ſenſuum, organis imprimuntur, magna varietate fictæ ſpecies, aut integræ manent, ſi purior ſit ſpiritus, aut confuſæ, ſi fuerit craſsior aut etiam penitus euaneſcunt, ſi planè turbidus.

Hinc igitur ſomnia fiunt vel expreſſa, vel obſcura, alijs etiam cauſis accedentibus, vel omnino nulla. Quæcunq; igitur obuerſata animo fuerunt vigilantium, ea recurſant dormientibus: Et qualibus perturbata mens fuit affectibus, talia noctu formantur ſimulacra. Nam αἱ νύκτες τὰς μεθημερινὰς φροντίδας παραλαβοῦσαι, ἐν ταῖς αὐταῖς φαντασίαις ἐξαπατῶσι τὸν νοῦν vt ait Baſilius.

A paruis autem momentis proficiſci mutationes ſæpe maximas, præter ea quæ modo dicta ſunt, inde liquet, quòd fulmina & tonitru audire videmur in ſomnijs, cum ſonus etiam exiguus inſtrumenta auditus ferit: Vt cum deſtillat per noctem parum phlegmatis, mel videmur edere: & igne nos fortiori putamus aduri, vel leuiori calore tenuiter aliquibus partibus incaleſcentibus.

Redeuntes autem diurnæ actiones, non malæ valetudinis habentur argumentum, quòd anima vrgeat conſilia diurna

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

urna, & eum corpore conſentiat, conſtante ſibi, neque repletione præter modum grauato, neq; inedia fatigato.

At ſi non reſpondeant ſomnia diurnis cogitationibus, morbum ſignificant & perturbatos humores.

De amoris incendijs noctu recurſantibus Sappho apud Ouidium:

*Tu mihi cura Phaon, te ſomnia noſtra reducunt,*
*Somnia formoſa candidiora die,*
*Sæpe tuos noſtra ceruice onerare lacertos,*
*Sæpe tuæ videor ſuppoſuiſſe meæ.*
*Oſcula cognoſco, quæ tu committere linguæ,*
*Aptaq; conſueras accipere, atq; dare*

Et de Byblide idem Poëte ex Metamorphos.

*Placida reſoluta quiete,*
*Sæpe videt, quod amat, viſa eſt quoq; iungere fratri*
*Corpus, & erubuit, quamuis ſopita iacebat,*

Vt ante retulimus.

Et ſupra commemorauimus ſomnium ex Heracle Furente Senecæ: En fuſus humi ſæua feroci Corde volutat ſomnia.

Piſcator Theocriti ieiuno ventriculo, laboribusq; defatigatus in petra ſedet, hamosq; eijcit, ſomniatu verò aureum piſcem opimum, calamis adhærentem, qui, ne elabatur, metuens, piſcem attrahit etiam reluctantem, & in mari pedem ſe non amplius poſiturum iurat, in terra autem auro imperaturum. Auriga currus, luſor aleam, chartas luſorias, teſſeras: miles tormenta bellica, arma: helluones vinum; raptores rapinam, fures tenebras ſomniant.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Pontanus vxorem ſuam Ariadnam in ſomnis alloquitur, accipit, amplectitur.

Ennius apud Cicero. 4. Acad. Viſus Homorus adeſſe Poeta, nimirum eadem in ſomnis fuit ſpecies eorum, quæ vigilans vidit, aut cogitauit de Homero poetarum fonte. Et nutrix ad poppæam in Octauia Senecæ:

*Quæcunque mentis agitat inueſtus vigor*
*Ea per quietem ſacer & arcanus refert veloxque ſenſus.*

Charinus apud Terentium act. 5. ſc. 5. Andri: Nam ille ſomniat ea, quæ vigilans voluit. Sententia è Bruto Accij translata, quæ extat 1. de Diuinat. Cicero. Rex quæ in vita vſurpant homines, cogitant, curaant, vident, Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea ſi cui in ſomno accidunt, minus mirandum eſt.

Et Naſo ad Maximum lib. 1. Eleg. 2. de Ponto.

*Somnia me terrent, veros imitantia caſus,*
*Et vigilant ſenſus in mea damna mei.*

Et idem in ὑποτυπώσει προσωπογραφικῇ. Somni Metamorph.

*Hunc circum paſsim varias imitantia formas*
*Somnia vana iacent.*

Suntque noti verſus illi Claudiani:

*Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno*
*Pectore ſopito reddit amica quies.*

Quamuis enim ſomnus curas adimat, vnde λυσιμελὴς eſt Poetis πεδήσα μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ: & ex eius domus vna parte exeat Riuus aquæ Lethes: non tamen omnino actiones animæ intercipiuntur feriantibus ſenſib. exterioribus,

quin

quin menti obuerſentur ſomnia quæ veras æquant imitamine formas, fingiente imaginatiua facultate imagines obiectorum, & reſiduis ſimulachris ab obiectis.

Huiuſmodi ſomniorum exemplis pluribus opus non eſt, ſiquidem nihil aliud ſunt, quàm reddita imago rerum antè actarum, & cupiditatis, deſiderij, amoris, auaritiæ, metus, terroris, neque euentum ſecuturum ſignificant, ſed ſpecies ſunt rerum præteritarum. Niſi quod, ſi ſeriam & iuſtam rem per diem factam referant, aut conſilium initum, ſanitatem ſignificare creduntur, humoribus ſcilicet & ſpiritibus ſibi conſtantibus & non perturbatis, at ſi diurnis actionib. aduerſentur, turbationem corporis indicari, & ideo valetudini laboranti ſuccurrendum medicamentis, victus ratione, temperantia.

Quæ ex humoribus oriuntur redundantibus aut deficientibus pro qualitate humorum variant, vtque temperamentorum non eſt exigua diuerſitas, ſic etiam ſomniorum, & ex vtriſque medicus eruditus multa colligit, & de ſtatu corporis ratiocinatur. Etenim ſomnians mare turbatum, morbo ventris affici exiſtimatur: terræmotus, cum ægroto tum proſpera valetudine vtenti mutationem in contrarium indicare creditur: terra ab aquis ſuperfuſa, & natatio, humiditatis exceſſum: terra ſicca, nigra, combuſta ſiccitatis exceſſum, ideoque morbum lethalem perhibetur portendere, fumus & caligo abundantiam atræ bilis, Cuiusmodi ſcribit Albertus non paruam copiam atræ bilis euomuiſſe, cui ſomnianti nigræ picis maſſa ad pectus affuſa videbatur, Sanguineos in Phamphilo deſcribit Terentius qua natura ſint, quibusque moribus & ſtudijs. Cum vero natura huius humoris efficiat placidos, affabiles, non tri-

triſtes, non tetricos, ſed blandos, obſequioſos, ſocietatis & congreſsuum amantes, communes, deditos amori, iocis, venationi. canibus, & equis alendis: etiam cum humore ſomnia congruunt, ſomniant enim ſanguinei læticiam, geſticulationes, ſaltus, exultationem, Muſicum, riſus, colloquia blanda, tripudia, cantilenas, iocos, facetias, exuuiæ formæ puellas, colores rubros.

Cholerici, in quibus flaua bilis dominium tenet, cædes, bella, verbera, arma, lites, iurgia, ignes, faces, incendia, pugnas, rixas, colores flauos ſomniant, volant in aëre.

Melancholici ſunt inſomnioſi, multæq́; eis viſorum imagines obuerſantur, creduntur q́; videre ſomnia veraciora, ſi melancholia ſit bene temperata, quod aliâs aliò vim imaginãdi conuertentes, ſicut ij qui crebro iaciunt, ſæpe numero ſcopum attingunt, Horum ſomnia ſunt tenebræ, ſpectra, caligo, cadauera, errores in locis ſolitarijs, fumus craſsus, uultus triſtes & tetrici, inamœna, iniucundaq́; omnia. Verùm hæc ita dici exiſtimari velim, vt pro varietate huius humoris, variari etiam ſomnia ſtatuatur.

Phlegmaticis ſubſtantia cerebri craſſa eſt & pinguis, & craſsi quoq; ſunt iiſdem ſpiritus: hi lauant, nauigant, aguntur in flumina, premuntur onere, quo retardati quamquam eluctari conantur, tamen nuſquam promouent, niuibus & imbribus obruuntur.

Si quid autem mali morbiue ſignificatur, auerti illud poteſt, quiete & abſtinentia, à cibo, potu immoderato, Venere, gubernatione affectuum, quibus non rectè lege rationis atq; naturæ cohercitis, omnes ſpiritus atq; animam ipſam ſuperatam labefactari neceſſe eſt: etſi opus iudicetur, tempeſtiuis medicamentis naturæ defectui ſubueniri poteſt. Hoc ſiquis negligit, valetudinis ſuæ, quæ ſola verè vita eſt

ſiquidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ſiquidem non eſt viuere ſed valere vita, ſecundum poëtam, eſt prodigus.

E nimia exinanitione cerebri & ventris prouenientia ſimulacra, atq; menti per quietem obuerſantia de re ſunt cognata: quæ non aliter appetunt id, quod naturæ vires exhauſtæ, & victu, qui ad indiuidui conſeruationem, & ad inſtauranda ea quæ vi caloris, continuò agentis in humidum radicale, & nunquam non aliquid abſumentis, fuere ablata, deſtitutæ deſiderant, quàm ea quorum cogitatio interdiu nos agitauit, quæq; noctu recurſitant. Itaq; inter dormiendum potus cibiq; alimenta ſiticuloſè & famelicè appetunt, ventre exhauſto.

At contra nimio cibo potuq; ſe obruentes & voraginis inſtar ingurgitantes, ex abundantia denſorum & craſſorum fumorum, varieq; agitatorum impulſu & concurſu ſpirituum cum inquietos habent ſomnos, tum ſomnia abſurda atq; turbulenta. Quare Plutarchus de ſanitate tuenda: Si continuus, aut lenis placidusq; perpetuusq; ſonus non ſit, verùm inæquabilitatem habeat, & diuulſiones, ſitq; interruptus, ſuſpicionem nobis morbi impendentis inijcere debet: atq; ipſa ſomnia ſi abſurda fuerint, viſaq; nobis per quietẽ offerantur non legitima neq; conſueta, multitudinem aut craſsitiem humorum internam, ſpirituumuè conturbationem deferunt.

Sic temulentorum ſpiritibus à vino incenſis, & febricitantium ſomnia ſunt abſurda, & inquieta, ſpectra, lemures, ſtryges, harpyiæ: & poſt defatigationem viniq; vſum immodicum, ab exiccatione & inflammatione ſpirituum videmur nobis pugnare, vulnerare &c.

Huc facere nonnihil putant potuum ciborumq; certa diſcrimina: nam Plinius libro 18. cap. 12. ſic inquit: Priſco ritu fabacia ſuæ religionis dijs in ſacro eſt, præualens pul-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tari cibo, & hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoq; facere. Verùm hæc partim conſuetudine molliora fiunt, & nimis ſunt curioſa. Quare Plinius ipſe libro vigeſimo octauo, capite octauo: Siniſtrum Chamæleontis humerum, quibus monſtris conſecret Democritus, qualiter ſomnia quæ velis, & quibus velis mittantur, pudet referre.

De eorum ſomnijs, quorum diaphragma eſt inflammatum, ex quo delirant leniter & iucũdè & ſic etiam ſomniant: aut qui cerebro perturbato μανίᾳ corripiuntur, nihil attinet plura dicere.

## Caput VIII.

### *De ſomnijs, quæ animæ ſunt propria, à vi cœleſti & æthera irritatæ.*

POſtremum genus eſt, quod animæ eſt proprium, vnde à quibuſdam appellata ſunt ſomnia animalia, neque immeritò, quod ab animæ quadam peculiari vi procreentur, & præcipuæ quidem. Etſi enim nonnihil conferunt ad horum generationem, temperamenta, victus ratio, è quo temperamenta multum variant: talia tamen ab anima principaliter efficiuntur, quæ cæteris ſenſibus exterioribus ſuas functiones non obeuntibus, nunquam deſes eſt aut ſegnis, ſed ſuam vim totam explicat, & naturam prodit, & quaſi liberiore campo excurrit, ſummoq; impetu fertur ad munia propria, ad eaſq; actiones cælitus excitata irritatur, operas iungente illi vi æthera, ſiquidem propiori vinculo cognationis cum corporibus cæleſtibus vincta detinetur. Ad hoc genus antequam accedamus, Quæri poſſit, qui fiat, vt ſi quid ponderis inſit ſomnijs, non

*Somnia ab animæ proprietate orta, cui accidit vis cæleſtis & ætherea.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

omnium meminerimus? Cauſa eſt in ſpiritibus admodum confuſis, concitatis & perturbatis: vnde fit, vt nullæ imagines firmiter imprimantur, Quam in ſententiam Seneca Epiſt. 2. lib. 7. Grauis ſopor etiam ſomnia extinguit, animūq; altius mergit, quàm vt vti vllo intellectu ſui poſsit. Deinde cauſa eſt in cerebro nimis denſo, & non capaci, cui imagines, tanquam ceræ imprimantur. Præterea multitudo & concurſus ſomniorum, memoriam copia obrutam, non patitur vni ſimulacro eſſe intentam. Adhæc etiam hanc ipſam memoriam in ſomno arctius ligari & conſtringi, inde patet, quòd interdum parentes & amici inter dormiendum animo obijciuntur, quaſi nobiſcum colloquantur præſentes & ſuperſtites, qui tamen iamdudum fuerunt mortui. Quin etiam non rarò ſe offerunt nobis, quos nunquam nouimus, nunquam vidimus. Quod cum non meminerimus dormientes, certum eſt eſſe ligatam memoriam: qua ligata, nec ſomniorum meminiſſe poſsumus.

*Cur non omnium meminerimus.*

Deinde quæratur, qua ratione fiat, quibusque de cauſis, vt nonnulli homines, ac quidam etiam populi omnino non ſomnient, qui tamen non minus quàm alij cogitant, metuunt, gaudent grato obiecto, ingratum & moleſtum auerſantur & perturbantur, cibo & potu, interdum etiam ieiunijs vtuntur. Vt tantum de ijs loquar, quæ è diurnarum cogitationum motu naſcuntur, & ab obiectis cientur. Nam de Claudio Nerone Suetonius ſcribit: Terrebatur euidentibus portentis ſomniorum & auſpiciorum, & ominum, tum veteribus tum nouis, nunquam antea ſōniare ſolitus. Et Cleon Daulienſis multis annis quibus vixit, nullum unquam ſomnium ſe vidiſſe affirmauit, quod etiam ex antiquioribus de Thraſimede Hercenſi refertur.

*Cur quidam omnino non ſomnient.*

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Et de Garamantibus idem affirmatur. Narratq; de Atlantibus Herodotus in Melpomene, & ex Herodoto Mela & Plinius. Siquidem Plinius libro 5. Cap. 8. Atlantes degeneres ſunt humani ritus, ſi credimus. Nam neq; nominum vllorum inter eos appellatio eſt, et ſolem orientem occidentemq; dira imprecatione contuentur, vt exitialem ipſis, agriſq;, neque inſomnia viſunt, vt reliqui mortales.

Hoc ita habere omnino negant nonnulli, & cum fabuloſum viſum fuerit, eandem ob cauſam, indignum putant exiſtimatum à Plutarcho, quòd commemoraretur. Quæ tamen opinio refelli poſsit ex eo, quod idem ſcriptor in libello, quem inſcripſit titulo de Defectu oraculorum, cauſam retulit in temperationem corporis. Ea enim in diſputatione ſic inquit: Imprimis pars illa animi quæ viſis impellitur corporis mutationibus obtemperare, atq; pariter commutari videtur, mutato temperamento. Interdum enim fit, vt in multis varijsq; ſomniorum viſis verſemur, interdum vt perpetua ſit ab ijs tranquillitas & quies. In cauſa eſt temperatio corporis. Huic etiam accedit qualitas & natura ſpirituum. Et Plinius qui tamen dubie aſſerit, ſi credimus, lib. x. Cap. ſeptuageſimo quinto: Id mortiferum fuiſſe ſignum contra conſuetudinem ſomnium, inueniri ut exempla.

Sunt qui ſomniare quidem nonullos in prima ætate negant, ſomniare tamen eos nihilominus ætate iam profectiore. Cauſa huius rei atq; ratio vel eadem videtur eſſe quæ in infantibus, quos ante quartum & quintum annum Ariſtoteles lib. 4. Hiſtor. cap. 10. ſomniare negat, cum propter totius corporis humiditatem, tum imprimis cerebri, quæ cauſa eſt, vt cerebro imprimi ſpecies nullæ poſsint: tum propter ſpiritus tenues ſupra modum lubricos, motu celeres, ſic vt imagines non contineant, ea ratione, qua in aqua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

aqua nimium commota & agitata, nulla fit imago. Inde igitur efficitur, vt etiamſi formentur ſomnia, ea tamen fiant turbulenta atque confuſa: Haud aliter, ac propter vaporum copiam, impedito τῷ φανταστικῷ, & obruta τῇ κινήσει τῶν αἰσθημάτων, qui grauiſsimè dormiunt & arctiſsimè ſopiuntur, quemadmodum accidit ebrioſis, aut ex labore & laſsitudine à ſomno profundiore opreſsis, & mox à cibo ſumpto, nullas ſomniorum imagines formant.

Quorum igitur natura eſt ita comparata, vt ſpiritus & vapores ſint denſi, craſsi, & copioſi, ij in prima ætate ſpecies in ſomnis animo obuerſantes nullas habent, ſed tamen, quia cum ætate temperamentum etiam mutatur, & ſicciores iam adulti, accedentibus annis euadunt, tum ſomnia vident.

Quod ſi etiam ætate profectiori nulla dormienti obueniunt ſomnia, in cauſa ſunt ſpiritus vel omnino duri, quibus nihil imaginum imprimi poteſt, vt ceræ frigore conſtrictæ & duratæ: vel vltra modum fluidi inſtar aquæ, ventorum turbine commotæ, in quibus impreſſæ imagines ſubito euaneſcunt, nec retineri poſſunt.

His rectè intellectis ratio quoque patet, quî fiat, vt vigilantibus non obijciantur imagines rerum futurarum, ſed ſolummodo dormientibus, quia impeditur motus facultatis eius in qua imagines formantur, quæ eſt τῆς φαντασίας: & quidem impeditur ex confuſo concurſu & agitatione obiectorum, quibus occupata phantaſia, officio ſuo fungi nequit, in figendis idolis & conſeruandis imagiuibus.

Accedit ad cauſas hactenus commemoratas ἀπάθεια quia prima ætas in nonullis naturis non magnopere perturbatur, nec vehementer afficitur: at affectus etiamſi non primas tenent, in ciendis ſomnijs, tamen eorum vis non eſt



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

planè nulla: Igitur non eſt mirum, ſi affectuum paulò acriorum expertes, etiam expertes ſint imaginum, quæ ijs apparent, quorum animus grauius afficitur & mouetur.

Hæc probabiliter quidem dicuntur, non tamen omnibus ſatisfaciunt, rem accuratius perpendentibus, & ad amuſſim rigidè, atq; ad viuum reſecantibus, qui hanc quæſtionem volunt inexplicabilem: Quare nec ſententiam noſtram pertinaciter interponentes, tuebimur. Illud verò non omittendum fortaſsis videbitur, ſi qui inueniuntur, qui nunquam ſomniarunt, vel ſaltem habuerunt ſomnia leuia, tenuia, obſcura, indiſtincta ſemper, ἄμορφα: cum póſt longum tempus tandem ſomniant, eos mori, aut certè periculoſè morbo conflictari. Argumentum enim eſt, totam hominis aut profectò cerebri, in quo ſimulacra formantur, temperiem, â ſua natura recedentem, mutatam fuiſſe: πᾶσα δὲ μεταβολὴ ταραχώδης, ſecundum Philoſophum.

De eorum ſomnijs, quorum diaphragma eſt inflammatum, ex quo delirant leniter & iucundæ, & ita etiam ſomniant: aut qui cerebro perturbato μανίᾳ corripiuntur, plura dicere non attinet. Progredimur igitur rurſus ad ea, quæ animæ humanæ, vi corporum cœleſtium irritatæ, ſunt propria.

Sunt autem ea ſomnia, quibus anima hominis futuros euentus, longè interdum, antè quàm accidunt, apud ſemet efformat, & adumbrat, & è ſimulacris, quæ inter dormiendum, quouis tempore, cum non eſt obruta crapula, cogitatio viam facit, & aditum parat ad actiones ſecuturas: qua de cauſa ingenioſi, multa inueniunt abſtruſa & ignota, qui ardore & cupiditate inueſtigandi difficillima & abdita incenſi, cæteris imperueſtigabilia eruunt, ineffabili quadam vi & facultate & δυνάμει ἀπορρήτῳ: quorum euentuum cauſæ nonnunquam

nunquam veriſimiles redduntur, & probabiles, interdum verò nullæ non modo πίστεις occurrunt, & rationes euidentes, ſed ne opiniones quidem & coniecturæ non omnino abſurdæ. Itaq; nihil eſt, vnde illa proficiſci ſomnia dicamus, niſi ab admirabili vi & facultate animæ, formantis φαντάσματα è peculiari aſtrorum poſitu, & vi à ſtellis in hæc inferiora agentibus, profecta, & gubernante cerebri, in quo eiuſmodi imagines finguntur, actum. Et quidem diuerſimodè. Etenim cum in alijs actiones ſtellarum ſint efficaciores & certiores, quam in alijs, pro eo ac diſpoſitum eſt cerebrum, officina τῶν φαντασμάτων: Et variè afficiatur anima pro varia corporis conſtitutione: ideo fit vt in alijs euentus futuri liquido demonſtrentur, in alijs αἰνιγματώδεις: & in vno eodemq; homine nunc expreſſæ ſint ſpecies, nunc obſcuræ. Hæc vis cœleſtis, ſicubi impendet homini aliquid, interdiu quidem, cerebro alijs occupationibus intento, ſemet prodit, & vel lætum hominem efficit, vel triſtem, ita etiam, vt quid nobis præſagiat, ſiue bonum, ſiue malum id ſit, animus, ipſimet non ſemper ſatis intelligamus: at noctu, cum ab occupationibus diurnis cerebrum laxatur, φαντάσματα mouet præſagientia.

Ne quis tamen longius æquo prouehatur, neu ſepta conditionis animæ noſtræ transgrediatur, cautione opus eſt accurata: Cœlitus quidem originem illa ſuam hauſit, multum tamen labefactata eſt, & obſcurata lux naturæ, etiam in ijs, quæ menti & rationi noſtræ reliqua eſſe & ſubiecta natura voluit. Si igitur in rebus, quæ interdiu agitat mens humana hallucinatur, vt fit ſæpiſsimè, adeò vt non rarò optimè cogitata peſsimè fallant, mirumuè ſit, ſi noctis ſomnia non ſemper ſint con-

ſentanea & æquabili. Et ſi ϖολλάκις τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι, ut ait Theognis, cum quantum fieri poteſt, vir prudens & non temerarius lance æquali etiam momenta poderet & perpendat: Eruntuè omnia ſomnia irrita, vana, caſu ſolummodo vera, ſi interpretatio fallat & iudicium, nec omnia ad amuſsimcongruant, itaq; eueniant, vtfuerunt præuiſa. Multa variat tempus, locus, homines, multa precibus pijs mala, ſi portenduntur, auerti poſſunt, nec parum loci eſt prudẽtiæ & ſolertiæ humanæ in rebus illi competentibus: plurima amoliuntur boni angeli ἀλεξίκακοι nec diabolo non coniuet Deus, ſi videat, admonitioni apud ſceleratos & obſtinatè improbos nihil eſſe loci.

Ne igitur anxiæ & curioſæ ſomniorum reſeruationi nos dedamus, quid fugiendum in hac doctrinæ parte ſit, & quid requiratur conſiderabimus.

1. Primum autem omnium adhibenda eſt Religioſa in Deum pietas, corq; à vicijs enormibus, immune, & mens pura, qua cauetur, ne arguti ciues ſimus eccleſiæ Dei ſine virtute, quibus volubili in lingua Deus eſt, & pietas in ore, non in corde naſcitur: ne Deum alligemus creaturis, ne operi plus fidei tribuamus, quàm opifici: ne ſcrutemur ea, quæ vel non neceſſaria ſunt ſaluti, vel etiam noxia: Sed ab vno Deo omnipotente & ſolum Optimo Maximo pendere omnia certò ſtatuamus: ita fiet, vt nec inquiſitione futurorum nimium angamur, &, ſi quid mali incommodiuè animus præſagit, nimium ne trepidemus: Si quid boni imminet, ne inſolenter efferamur. Et non tantum fidei ſomnijs debetur, vt naturali retione relicta, aut verbo Cœleſti, ijs fidas.

Requiſites ſomniorum.

2. Secundo, ne fiamus ſuperſtitioſi, nec nimia ſomniorum obſeruatione fœde fallamur (nunquam autem non labi nos poſſe non affirmo) requiritur diæta, & victus ratio conueniens

ueniens. Qui enim victu ſunt moderato, ſedatiſq́; affectibus & ad pietatem rerumq́; cœleſtium conſiderationem & contemplationem animos compoſuerunt, ſomnia habent magis ſuauia, & certiorum euentuum ſignificatores. Nam inedia confectorum ſomnia qualia ſint ſupra commemoratū eſt: & qualia ſint illorum in quibus excrapula, & abundantia cibi & vini, potuſq́; halituoſi, turbatur cerebrum & Spiritus, auſa ſomniorum inſtrumentalis, eſt notiſsimum,

Præterea non parum diſcriminis affert vitæ genus, eiuſq́; conditio. Etenim de ijſdem ſæpe ſomnijs, aliud eſt iudicium, ſi homini obueniant plebeio, aliud ſi in honorum & dignitatum faſtigio præ cæteris eminenti. Sunt quidem etiam plebeijs aliquando ſomnia de rebus arduis, ſed ea non facile autoritatem inueniunt, niſi caſu aliquo aliunde accidente: aut Deo eos peculiari conſilio excitante, vt alterius ſomnio dignioris conſentiant. In hanc ſententiam Neſtor in exercitu Græcorum ad Troiam, cum ætate, tum eloquentia, tum deinq́; vſu rerum conſpicuus, audito Agamemnonis ſomnio nequaquam id vult negligi aut contemni: Ita enim.

εἰ μὲν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπε
φεῦδος κὲν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον
Νῦν δ' ἴδεν ὃς μέγ' ἄριστος ἐνὶ στρατῷ εὔχεται εἶναι.

Hortatur autem duces vt arment exercitum, idem enim ſentire omnes Deos, & conſpirare in Troiæ excidium, idq́; effectum fuiſſe arte Iunonis. At vide ſimul humanarum mentium cæcitatem: putat enim Neſtor laborem futurum vnius diei, neſciens, non futuram rem ſine cæde & ſanguine. Nec enim articulus ſomniorum obuenientium & euentus ipſorum ſemper coincidit. Ei Accius apud Ciceronem de ſomnio Tarquinij ſuperbi diſtinguens τὰ ἐνθυμηματικά, id eſt, ex

actionibus diurnis nata, ab ἐνθουσιαστικοῖς & præſagientibus: In re tanta, inquit, haud temerè improuiſò offerunt. Habendus itaq; vt plurimum, reſpectus perſonæ, officij, dignitatis. Cum enim in ſublimiori loco ſint à Deo conſtituti, ij, qui eius vicem gerunt: non tantum auguſtiori appellatione nominantur, vt dicantur Dij, ſed etiam propter ipſum officium prærogatiuam habent præ cæteris plerumq; mortalibus, & donati ſunt à Deo, imperiorum omnium ſolo Monarcha, ὃς ὑπέρτατός ἐστιν ἁπάντων ἐξ οὗ ἔχεται κάρτος τε βίη τε, inſtructiq; donis maioribus ad ſuſtinendam gubernationem, & acquirendam gratiam & veluti numen quoddam.

4 Adhæc non minimum momenti affert, imò potiores ſibi partes vendicat cœli diſpoſitio, & ſtellarum collocatio, agens in hæc inferiora, ex elementis conflata, imprimis vero cognatio ſuperiorum corporum cum cerebro, aut certè cum ſpiritibus atq; anima. Vi enim cœleſti, naturalis facultas στο-χαστικὴ excitatur & acuitur, vt ex notis, etiam leuiſsimis, anima de futuris, ſumat coniecturam: Nam ſecundum Ptolomæum: ὅτε ὁ ☿ ὑπάρχει ἐν ἑνὶ τῶν οἴκων τοῦ ♄, καὶ ἐστὶν ἐνδύναμος, δίδωσι τῷ γεννηθέντι στοχαστικὴν διάνοιαν, καὶ ἀκρίβειαν τῶν πραγμάτων, vt alibi retulimus. Et loca Veneris ad prædictiones & coniecturas aptè capiendas conferre, idem autor eſt libro 4. prædict: Aſtrolog. Atq; Mercurius quidem etiam alijs in locis laudatis, non parū præſtat, ni læſus fuerit à maleficis, & in horoſcopo conſtitutis, niſi tamen inueniatur in ♉. Acuitur igitur ingenita & naturalis facultas conijciendi futura, per latentem & non facilè deprehendendam ſtellarum vim atq; influentiam, vnde cientur in cerebro à potentia ſtellarum deriuatæ ἐπιτηδειότητες inducendi ſomnia vel aperta & euidentia, vel figuris ambiguis & obſcuris inuoluta. Vnde alij alijs ſunt

ſagaciores in coniectando & collineando, qui ſunt εὐθυόνειροι & προορατικοί. Sicut enim vis & influxus corporum cœleſtium in corporibus ex materia conflatis, & quatuor elementorum κράσει compoſitis, diuerſas formas producit: ita in potentia phantaſtica, phantasmata imprimuntur, ex cœli poſitu, cum aliàs, tum in ſomnis, cùm anima ad cœlum, cui cognata eſt, ſeſe liberius erigit, & ea nobis ſuggerit dormientibus, quæ latent vigilantes. Hanc animæ ſagacitatem, & intelligendi perſpicacitatem, iudicandiq; ſolertiam, quæ cum inter dormiendum, tum vigilandum ſe profert, in præſagitione futurorum euentuum, quæ eſt προμάντεια, & θυμὸς πρόμαντις admirati ſunt Ethnici: Atq; huiusmodi præſagitionem fuiſſe vocem illam in animo Socratis ſonantem, non auribus perceptam, qua ſolitus ſit præmoneri, de euenturis minus proſperè, & hoc nomine illam facultatem, coniectandi futura ex leuiſsimo indicio, non aliter ac è fremitu aëris tempeſtates præuidentur, ornârit, doctis videtur à vero non diſsimile: Nam eſſe naturam interiectam inter Deum & hominem, ſiquidem ſimpliciter Deus & homo non poſsit coniungi, tanquam nuncios & miniſtros, quorum opera ad homines illa deferantur, quæ ſciri ab his Deus velit, eſt abſurdum, ſcriptisq; Propheticis contrarium, Quemadmodũ illud quoque, quod de Dæmonib. metallicis, neſcio quid, ſcribunt. eſſe eos ſpiritibus ſimiles, non habendos tamen Spiritus, quòd carnem habeant & ſanguinem: dici verò poſſe Spiritus terreſtres, cuſtodes auri argentiq;, & metallorum amantes, qui non in aëre degant, ſed ſub terra, qui mortem denuncient metallicis: diuturnæ quidem vitæ, tandem tamen mortales, ſtatura parua, varijs formis quoties libet, ingenioſos, ſolertes, ditiſsimos,

Quos

Quos crediderint alij eſſe angelos bonos, nonnulli hominum malè mortuorum animas ſeruientium diabolo vſque ad extremum diem: quidam inane ſpectrum: pars faſcinum & incantationem: Eſſe aiunt qui opinentur, quòd ſit ſpiritus hominis, qui theſaurum infoderit, quem cuſtodiat vel donec eruatur, vel vsq; ad diem nouiſsimum: noſſe ſenſus noſtros, & ſibi addictis impertiri ſapientiam.

Quicquid ſanè dicatur id aut plane falſum eſt, aut ſuperſtitioſum, aut impium. Illud verò eſt, veritati quàm proximum (nam redeundum eſt ad actiones animæ) quod Cicero ait, caſtum animum, purumq; ad veritatem eſſe paratiorē talem enim neceſſe eſt adiungi ad vim æthercam, animos irritantem, vt mox dicetur: Et hoc nimirum eſſe, quod de Socrate accepimus, diuinum quiddam, quod dæmonium appellat, cui ſemper paruerit, nunquam impellenti, ſed reuocanti. Hoc itaq; Socratis dæmonium ipſa anima eſt, æthereo motu excitata & ſeſe contemplans, & quid fugiendum ſit monens, Dux & magiſtra, hortatrixq; & cuſtos hominis, multa præſagiens.

5 Præterea animus ſeruandus immunis eſt, quoad eius fieri poteſt, ab effectuum impetu, ne temerè ruant, neuè feratur equis auriga: Sed ſi quid obijcitur, quo mens à ſanitate deturbari poſsit, in gyrum rationis retorqueantur motus animi, vt huius imperio, ſupremæq; potentiæ, reginæ pareant, animo bene compoſito, & experte paſsionum vehementiorum, quæ mentem à ſtatu ſanitatis dimouent, Sic enim imagines minus ſunt confuſæ & perturbatæ, & anima minus tardatur ex antecedentibus concluſura conſequentia. Quam ob cauſam Pythagoras hanc quaſi legem tulit ſuis auditoribus, vt ituri cubitum, cantu & lyra animi motus ſedarent, ad auertendum moleſta ſomnia.

Et Pla-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Et Plato ad ſomnum ſic ire iubet, vt nihil ſit, quod perturbationem mentibus afferat, vt eſt 1. De Diuinat: Ciceronis, Et Gellius lib. 4. cap. 11. Et ſi irruiſſent inſomnia, lecti ſtragula Pythagoras iuſsit excutere & conuoluere.

6 Neq; hoc eſt prætereundum, Non temerè tentandam ſomniorum interpretationem: neq; audacter quid affirmandum: Euentus enim ſemper in Dei poteſtate & manu ſitus eſt. Sed dandus eſt coniecturis locus Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς. Qui bene conijciet, vatem hunc perhibebo optimum, inquit Cicero ex Euripide, & ex eodem Plutarchus de Defectu oraculorum.

7. Locus nullus ſit niſi phyſicus. Abeſſe enim iubemus ab hac doctrina omnes ſuperſtitiones: Sit purus & defecatus. Cùm enim aëre nutriantur ſpiritus: Spiritus verò inſtrumētum ſint huiusmodi imaginum, Quò ſereniores ſunt ſpiritus, & locus, eó magis perſpicuæ ſunt imagines in illis relucentes. Quod autem Ciuitatem ſomniorum ad Oceanum collocant poetæ: παρδ' ἴσαν Ὠκεανοῦ τε ῥοὰς καὶ λευκάδα πέτραν, ἠδὲ παρ' ἠελίοιο πύλας, καὶ δῆμον ὀνείρων, id propter humorum fit copiam, è quibus abundantibus ſomnia quidem ſed confuſa & indiſtincta naſcuntur. Lucianus à ſe nunquam diſſentiens, vt cætera, ita ciuitatem fingit incoli à ſomnijs in planicie, ſyluis vndiq; circumdatam, magno ambitu, in quibus ſyluis arbores ſint proceræ, & herbæ variæ, & quidem eiusmodi, quæ ſomnos inuitent leues, papauer, mandragora, vmbrâ, aura frigidiuscula, quæ ſucco, odore, ſono, floribus ſomnum inducendi vim habent: eaſq; arbores habitari ait à nocturnis auibus, vt ſunt noctuæ, veſpertiliones, bubones.

Rigari vrbem â Lethe fluuio placidiſsimo, cui ab obliuione nomen eſt, & νυκτιπόρῳ. Promanat is è duobus fontibus



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

loco vmbroſo, quorum alter eſt παννύχιος, alter νηγρετὴς, Nec præterit Lucianus ſomniorum diuiſionem Homericam, quæ eſt Δ τ: facit enim portam ſomniorum vnam corneam, varijs picturis exornatam, & imaginibus afferentibus vera ſomnia: alteram eburneam, cuius ſomnia confuſa. De hoc figmento diuerſorum diuerſa eſt ſententia: Natalis quidem ſuam hoc modo explicat: Sicut ignis laternæ incluſus, ſi cornea & ſubtilis ſit materia, facile lumen transmittit, vt aliquo modo videatur: Ita ſi corpus hominis fuerit per temperantiã ab omnium ſordidorum humorum colluuione expurgatũ, facilè anima veritatem, & ſpectra diuinitus oblata recipit, quæ ſomnia ex Ioue ſunt, vt inquit Homerus. At ſi craſſa ſint corpora, onerataq; cibis, & humoribus fœtidis oppleta, vt ſunt helluonum, & è crapula heſterna laborantium: tunc anima, ſicut craſsiores in laterna partes non ſunt pellucidæ, veritate ſomnijs obiectum non perſpicit.

Didymus ad conſtitutionem oculorum refert: Quorum pellicula prima ſit Cornea: & ad os atq; dentes, propter ebur, quod fide habeantur digniora, quæ videntur, quàm audita, quæ narrantur.

Alij per cornua repreſentari putant vera ſomnia, & diuina, quia in altum attolluntur: at falſa per ebur, quia elephantorum cornua deorſum vergere aiunt.

Sunt etiam qui hoc modo exponunt: Cornu attenuatum viſui fit peruium: ebur verò denſitate ſua obtutum oculorum effugit, nec transparet: Alij alia afferunt, Quæcunq; verò ſententia cæteris ſit veriſimilior, illud dubium non eſt, tum Homerum, tum Virgilium duo facere genera ſomniorum, Verorum ſcilicet & falſorum. Apud Homerum quidem hoc agente Penelope, vt obſcura eſſe & fallacia aſſerens, ijs fidem detrahat, eo fine, ne vel vanis rumoribus vel

ſomnio inductus, Vlyſſes procorum ſanguine ſe contaminet, Virgilius verò nihil aliud ſignificare vult, quàm quæ viderit Aeneas, mera fuiſſe figmenta.

8 De tempore, quo ſomnia fiant veraciora, Plutarchus quærit Quæſtione x. lib. VIII. συμποσίο: Cur ſomnia autumnalia fidem non inueniant. Cauſam confert in fructus recentes, qui cum humore turgeant, multum turbulentumq́ ſpiritum gignunt; Si enim ἀυγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη, ex ſententia Heracliti, referente Galeno in libro, Quod animi mores, ſequantur temperamentum corporis: Nec certe quid diſpicere poterit aut diſcernere anima, ſpirituum & vaporum, fumorumq́ copia obruta: Idq́ vt vitari poſsit, cum alia tum fructus docent fugiendos & cibos, quibus crudum humidum ineſt, & difficilis concoctio: tum requirunt cubicula pura & non ſordida, ne repleatur cerebrum.

Ad alia progrediendum eſt, vt quæ requirantur omnia proſequamur: Volumus quidem certè.

Commodiſsimum eſt autem illud tempus matutinum, quo ſole oriente, ſanguis purior eſt, excitatior, ſincerior. Hinc poëta: Tempore quo cerni ſomnia uera ſolent. Nam in prima noctis parte, aut nullæ ſe offerunt ſomniorum imagines, aut ſanè confuſæ, nullam referentes certam figuram, ut in fonte aut fluuio a uentis turbato, nulla imago certa conſpicitur. Etenim copioſa euaporatio exhalans è culina, & caput penetrans, facultati imaginatiuæ eſt inimica. Quare non abſurdè Artemidorus: Nihil diſcriminis facit tempus, dies, nox, ſed cibus moderatus, & immoderatus. De tempore matutino, quo abſoluta eſt concoctio, & deſiit euaporatio, Tibull. 3. Eleg. 4.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Tandem cum ſummo phœbus proſpexit ab ortu,*
*Preſsit languentis lumina, ſera quies.*

Et Theocritus ſiue Moſchus in Europa:

εὐρώπῃ ποτὲ κύπρις ἐπὶ γλυκὺν ἧκεν ὄναρον,
νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ᾽ ἠώς,
ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων,
λυσιμελὴς, πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ,
εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Sic Euripid: ὕπνος ἅδιστος ἔβη βλεφάροισι πρὸς ἠοῦς
ῥήσω, οἷον ἥκιστα τότε τῆς ψυχῆς ὑπὸ τῶν,
ἀπὸ τῆς τροφῆς ἀναθυμιάσεων ἐνοχλουμένης.

Et Taltybius in Troadibus Senecæ, de viſo ſuo nocturno, vt explicat Luctatius.

Summa iam Titan iuga ſtringebat ortus vicerat noctem dies. Et in Octauia:

Læta poſtquam dies ſideribus atris ceſsit, & nocti polus ſomno reſoluor.

9 Vt igitur ſomnia non ſint ſemper euanidæ imagines & turbatæ, cibus ſit bene coctus, & cœna parca. Hinc Athenæus lib. 4. cap. 13. Dipnoſo: de lente: Ignoratis homines miſerrimi neq; intelligitis grauibus cibis regiam animi altitudinem deiici, neq; illos pati¦ rationis participem animi partem in ſe ipſa. Ex quo ſcribit lib. v. rerum Philippicarum Theopompus, multum comediſſe, & carnibus veſci, cogitationes eximit, animasq; tardiores facit, iræ auidas, aſperitatisq; & imperitiæ plenas.

10 Temperamentum melancholicam εὐθυονείρους efficit, Quanquam enim etiam in temperamentis aliis ſpiritus non deſunt, tamen vel humidiores ſunt, vel concitatiores vel confuſiores quam

res, quàm vt aliqua certa forma & ſpecies ijs imprimatur, & aliquid veri præuideatur, impeditur enim, & à ſuo ſtatu dimouetur facultas imaginatiua: tantumq́ abeſt, vt idea aliqua expreſſa & euidens effingatur, vt monſtroſa etiam ſint omnia. Quod ex eo conſtat, quia peracta concoctione, à qua vapores impuri & fumoſi aſcendentes, imagines permiſcent, ſomnia ſunt expreſsiora vt ea non abſoluta, confuſiſſima. Hic tamen coniecturæ variant in interpretando, vt non exigua varietas eſt humoris melancholici.

11. Hîc illud quoq́ eſt addendum: Nullum eſſe temperatum adò perfectum, quin ſit in eo ἔλλειψις vel ὑπερβολή: nullum cibum ſic temperatum, nullam dietam vſq́ adeo certam, quin extra modum nonnihil interdum prodeatur: nullius temporis aut loci tam accuratam obſeruationem, vt non aliquid inſit incommodi: Igitur non ſunt recipienda omnia ſomnia, Sed iudicium adhibendum: Imò iudicium ipſum ita gubernandum, vt ab affectibus ſe affici et turbari non patiatur. Et quandoquidem multum occurrit ambiguitatis, nec tam regulis quàm exemplis & obſeruatione euentuum, cuiusq́ naturæ & temperamento, plerumq́ reſpondentium, tota hæc ars conſtat, euentui quoq́ tota res eſt committenda, nec ante ipſum, quid definiti, certiùe pronunciandum: nihilominus tamen ſagaci coniectura, & prudente animo non pauca præuidentur, & quidem vtiliter præuidentur, ſi ſomnia, actiones & conſilia ad pietatem atq́ rationem tanquam ad Cynoſuram dirigas.

12 Quod ad diſcrimen perſonarum, de quo etiam ante quædam diximus, multum profectò intereſt à principe ſeruus, & ab integro & bono viro, malus & improbus.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Quod autem de principibus, idem quoq; de conſiliarijs ipſorum, qui ſunt inſtar oculi & cordis, eſt accipiendum.

Viri principes & heroici, vt plerumq; ſunt corporibus non peſsimè conſtitutis, nec humoribus facile & leuiter perturbantur, nec cibo & potu ſe obruunt (ſi modò à ſua natura non planè declinent) ita ſomnia habent plerunq; veriſimiliora: Habent eadem viri boni iuxta Ariſtotelem Sect: 30. problemat. 13. qui etiam cap. 13. lib. 1. Ethic: ad Nicomachum, bonorum virorum meliora eſſe ſomnia diſputat, quàm improborum: (Sic enim interpretantur nonnulli) ἀγρεία ἐστὶν ὁ ὕπνος τῆς ψυχῆς ᾗ λέγεται σπουδαία καὶ φαύλη, πλὴν εἴπερ κατὰ μικρὸν διικνοῦνται τινες τῶν κινήσεων, καὶ ταύτῃ βέλτιω γίνεται τὰ φαντάσματα τῶν ἐπιεικῶν ἢ τῶν τυχόντων.

Et Prudentius: *Quem rara culpa morum,*

*Non polluit frequenter,*
*Hunc lux ſerena vibrans.*
*Res edocet latentes.*

Et congruit Orpheus, qui canit:

ὅισιν ἐπ' εὐσεβέωσι θεῶν, νόος ἐσθλὸς ὁδεύει,

Et Albertus Magnus: Somnia virtuoſorum meliora ſunt quàm aliorum: Sunt enim dij quibusdam viris excellentibus, ſi fas eſt ita loqui, præſentiores, excellentiæq; & gloriæ ipſorũ permultũ ſtudioſi. Vnde fortaſſe nata eſt opinio de genijs.

De ſceleratis idem Prudentius:

*At qui coinquinatum*
*Vitijs cor impiauit.*
*Luſus pauore multo*
*Species videt tremendas.*

De vtriſq;

De vtriſq; Georgius Fabricius: Qui integri ſunt & Deo chari, hi interdum in ſomnis vident res veras, & ex iјs futura conijciunt: Impij terrifica habent ſomnia. Vnde Iob inquit: Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.

13 Nec verò tantum principibus, quamuis ſæpius, ſed etiam plebeis interdum ſomnia obtingunt: item, ἐκστατικοῖς, & iјs in quibus eſt συμπάθεια.

Plebeis quidem cùm ſuam rem gerunt, nec aliena curioſè perſequuntur, & mente ſunt à proprijs perturbationibus vacua, quibus imagines turbantur, vt aqua tempeſtate. Collineant igitur aliquando.

ἐκστάσει verò correptis, quia illorum quoq; animus eſt liberior, & veluti extra ſe raptus.

Iis autem, in quibus eſt συμπάθεια, cum alius alium curat, deq; eo eſt ſollicitus etiam abſente: & quidem multò magis: alter alterius rebus ſecundis lætatur, triſtibus dolorem atq; curas percipit, habentq; affectiones mutuas, copulante eas cognatione quadam arcana & ætherea. Ideo in quiete anima de iјs cogitat.

14 Cerebrum à natura oportet eſſe optimè conſtitutum, quod ad ſubſtantiam & formam, omniumq; partium ventriculos, & ſitum: & rectè temperatum: nec ſint debilitatæ actiones ſenſuum interiorum, nec inhibeatur formatio phantaſmatum, affectibus et commotionibus præter naturam, aut halitibus crudis & vicioſis è ventriculo in cerebrum ingruentibus, aut cibis male temperatis, aut modum excedentibus, quibus confundi & diſijci leuiſsimas illas imagines ſomniorum neceſſe eſt.

15 Adhæc repetendũ hoc in loco eſt, nihil ſomniorum à Deo

petendum

petendum,nec orandum ſibi oſtendi. Non enim præſcribendum eſt Deo, qua ratione velit nobiſcum agare: Sed quod offertur humili timore numinis diuini, remota omni ſuperſtitione eſt apprehendendum. Quod niſi fiat, indicium eſt animi curioſi, qui præſtigijs facilimè circumueniri poſsit: Et operibus potius pijs atq; ſanctis animus adhibendus,inquiſitionis veritatis ſtudioſus, amansq; patriæ & ſuorum , nec diſturbatus affectibus, qui alıorſum mentem trahunt, neq; alienis negocijs occupatus. Quare Cicero 1. De Diuinat. Qui ſe tradit quieti pacato animo,tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa& vera cernit ſomniæ.

16. De cibis meminere Plinius, Plutarchus, alij. De Pycnocomo Plinius lib. 26. cap. 8. eius ſemen tumultuoſa ſomnia facere,vna drachma in vino poti: caſtaneæ,legumina,caules,cepe, polypi caput, porrum, fabas, allia, ſomnia inducere falſa & turbulenta. Idem libro 37. cap. 10. Eumeces in Bactris naſcitur, ſilici ſimilis, & capiti ſuppoſita viſa nocturna oraculi modo reddit. Adiuuantia ſunt Cypri flos,crocus, baccaris, inuitant enim ſomnos moleſtia vacuos. Qui totum diem ſegniter traducit, & frigidis veſcitur, ingeritq; aquam copioſam ante ſomnum, aquas ſomniat, ranas & his ſimilia, Sed de his ante meminimus, & ſunt pleraq; curioſa.

17 Diſtinguenda etiam diligenter ſunt ſomniorum genera quæ ab humoribus & temperamentis oriuntur, quæ à cibis procreentur,quæ à diurnarum cogitationum intentione,curis, actionibus,veniant, quæ à cauſis alijs, de quibus ſupra.

18 Quæ hactenus recenſuimus, non eò ſpectant, vt diſciplinam aliquam certam ſomniatorum conſtituamus, aut id oſtendamus,reperiri aliquem,in quo inſint ſimul hæc omnia:

Sed

ſed eò ſpectant, vt liquidò conſtet, in coniecturis potius, & euentu, quo coniecturis fides fit, rem totam conſiſtere: deinde in alijs, alio atque aliò tempore eas coniecturas eſſe firmiores & certiores, exactiusque congruere. Nam & Philippus Melanchthon, quem tamen natura & Mercurij diſpoſitio alias hac in parte finxit στοχαστικὸν in quadam epiſtola ad Camerarium ſcribit: Meum ſomnium fefellerat de filiola. Et quemadmodum ars de prædictionibus futurorum euentuum ex ſiderum poſitu, non poteſt tam diſertè de ſingularibus euentibus pronunciare: (etiamſi enim ars perfecta eſt, nos tamen qui illam exercemus, in ea imperfecti) ita neque hæc pars doctrinæ phyſicæ interpretationes condit veras & immotas, ac ne leges quidem fatales more Stoicorum.

19 In Allegoricis ille eſt habendus ſolertiſsimus ſomniorum coniector, qui ſimilitudines rerum probè habet cognitas. Quò quis igitur eſt ingenioſior, eò venuſtiores etiam ſunt imagines & ſimilitudines concinniores, quibus res adumbratur, & acutius quid ſignificetur, perſpicit: atque hæc eſt συμπάθεια & conuenientia ſomnij cum rebus ipſis. Vt aſcenſus per cochleam, ſignificat negocia intricata: compedes ſignificant difficultates. In theorematicis verò naturæ vis & ſtellarum qualitas valet plurimum non tamen excluſis cæteris adiuuantibus.

20. Omnino autem optimum videtur, naturam, quæ omnibus rebus præferenda eſt, vt de vtraque tam materna ſua quàm paterna familia teſtatur Cardanus, & temperamentum ſuum, quantum fieri poteſt, exactè habere cognitum & perſpectum etiam in ſomnijs præſagientibus: & potioris ætatis annorum ſomnia obſeruare, exemplo Aſtrologorum, qui conſultiſsimum arbitrantur, ad comparandum aliquam cer-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

titudinem prædictionum ex aëris mutationibus: (Eſt enim dubius admodum & fluxus elementorum motus) quid ad quemq; ſiderum poſitum in hoc orbe elementari conſequatur aliquot annis obſeruare. Nam repetendum eſt ſæpius non eſſe oracula diuina, omnia ſomnia, ſed nonnulla ambigua: ideoq; nonnunquam incerta & fallibilia, & coniecturas ſolùm ſagacium & moderatorum hominum, obſeruatione diuturna & euentibus confirmatas. Nam plerunq; genus oſtendunt & adumbrant tantum, non autem ſpeciem diſertè exprimunt.

De his regulam præſcribit Xenophon, ad quam velut
ἀναβ. γ. ad amuſsim ſomnia examinentur. Nam Αναβας, Cyri Iunioris ſuum recenſens ſomnium Xenophon inquit: ὁποῖον τι μὲν δή ἐστι τὸ τοιοῦτον ὄναρ ἰδεῖν, ἔξεστι σκοπεῖν ἐκ τῶν συμβάντων μετὰ τὸ ὄναρ. Et Herodianus libro 2. de Seuero Imp. Ἀνέπεμπε αὐτὸν ὀνείρατα τοιαύτην τίνα ἐλπίδα ὑποσημαίνοντα χρησμός τε, ὅσα εἰς πρόγνωσιν τῶν μελλόντων σύμβολα φαίνεται. Ἅπερ πάντα ἀψευδῆ καὶ ἀληθῆ τότε πιστεύεται, ὅταν εἰς τὴν ἀπόβασιν ἐντυχηθῇ.

Et Artemidorus: Ante euentum ſomnium iudicatu difficilimum. Quorſum hæc tam multa de ijs, quæ ad iudicanda ſomnia ſpectare videantur? Vt proteſter, nolle me approbare aut confirmare meo calculo vllas εἰδωλομανίας, & ſuperſtitiones, à quibus mens ſana, & rectè inſtituta meritò abhorret. Nec tamen ideo contemnenda in vniuerſum omnia ſomnia exiſtimo, ſed obſeruandas notas verorum ſomniorum, vt quantum vnicuiq; generi tribuendum ſit, pateſiat, Qui verus eſt finis noſtrorum ſtudiorum, videlicet, ſcientia, & veritas.

21 Tria autem iſta ſtudioſè caueantur: I. Curioſitas in captando

ptando

ptando, & obſeruando: Deinde temeritas in interpretando: poſtremo euentuum dubiorum fictio.

22 Illud quoque animaduerti volumus, Non ſemper euenire quod ſomniamus, obſtante cauſa maiore, fortiori & propiore impediente remotiorem. Sæpe enim ſi quid augeratur animus, multis id rationibus auerti poteſt, Precibus, attentione, conſiderata cautione, vnde Pompo. Lætus: lib. 2. Rom: Hiſt: Si de rebus futuris certa ſtarent vaticinia, virtus pro nihilo eſſet. Non eo inficias, cœlitus noſtra gubernari: verum ſapiens non vano conſilio multa aduerſa effugere poteſt, inconſultum & inſipientem proſperi ſucceſſus prætereunt.

Cum verò ſecundum pietatam religoſam & fugam ſuperſtitionum euentuum ſit momentum maximum in hac diſputatione, ſyluulam exemplorum ſubijciam, & quidem maxima ex parte hominum illuſtrium, quæ exitu comprobata ſunt, & hiſtoricorum cum Græcorum tum Latinorum, aliorumque prodita monumentis, quorum ratio probabilis reddi poſsit, quæ in quibuſdam vim demonſtrationis habet, apud homines non indoctos, nec planè pertinaces: Vel ad quæ ſaltem euentus ſequitur, etiamſi quibus id ex cauſis fiat, non ſatis apertè ſemper conſtat: Igitur aut coniecturis non planè abſurdis, locus relinquetur quæ in nullo nõ doctrinarũ admittuntur: Aut ſi ne ſic quidem moroſis, & ad amuſsim ſui iudicij, quo ſoli ſibi ſapere videntur, examinantibus, ſatisfactum fuerit, luſus eiuſmodi ingenuis, & liberalis doctrinæ amantibus, permittatur. Sunt enim ſomnia pleraque eius generis, quibus ſi ſuperſtitionum ſcopulos vites, nec qua in pietatem aut mores bonos impingas, Catholica fides nec credere prohibet, nec expreſsè permittit.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

De exemplis autem cuiuis liberum iudicium relinquimus, dummodo id conſequamur quod quærimus, non eſſe impiam conſiderationem mirificorum euentuum, nonnunquam cum ſomnio exactè congruentium. His exemplis ſi admiſcuero exempla poëtarum, non modò non reprehendi fortaſsis potero, verumetiam multò magis veniam merebor. Siquidem omnis ſapientiæ penu continetur in ſcriptis poëtarum, qui ex varijs doctrinis & multiplici cognitione veluti placentam efficiunt, teſte Eraſmo. Et vniuerſum philoſophiæ corpus fabulis inuolutum, & tanquam rem ſacram à prophano abuſu remouendam, comprehenderunt. Quam in ſententiam Sabellicus inquit: Fabuloſa poetarum figmentis maxima ex parte teguntur, proſunt tamen exemplo & autoritate quòd non fabulantur tantum, ſed etiam docent. Nihilominus tamen poetarum ſomnijs parcè vtemur, ne fabulas narrare, non hiſtorias adducere, videamur.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

# Hiſtoriæ de Somnijs eorumq́ꝫ euentibus.

## PARS II.

*Farrago Somniorum, quibus euentus fidem fecit.*

VARIAE SVNT IMPERIORVM politicorum conuerſiones & periodi, pendetq́ꝫ tota eorum adminiſtratio, conſtitutio, commutatio, euerſio, inſtauratio ex Dei nutu & arbitrio, quod cùm aliunde patet, tum ex illa præſenſione, quæ fit in dormientibus, qua Deus, cuius ſe vis in omnia humana explicat, animis hominum ſtimulos inijcit, quib. excitati nonnunquam euentura præcognoſcant, ne caſu oriri aut occidere credamus, ſed cauſam eſſe primam & vniuerſalem ſtatuamus, à qua pendeant omnia, tradiq́ꝫ ſceptra, cui Deus vult.

*AENEAS* dux exulum Troianorum ſollicitus, & præ mœſticia languens, conderet ne vrbem in loco Italiæ arido & ſterili, in quo cùm prodigio ſuis, tùm voce Fauni è nemore audita, vt extrueret, iubebatur: & neq́ꝫ ad exercitum qui tum propè aberat, ſe reciperet, neq́ꝫ cibum caperet, illic cubans nocte illa, vidit in ſomnis miram quandam deorum penatium ſpeciem, hortantium, ne refugeret terram non omninò bonam, & à mari remotiorem, ſed oppidum con-

Dionyſ. Haſ. lib. 1. Aeneas.

 deret:

deret: Ex hoc enim inopi ſolo, longius profecturos poſteros, neq; finibus adeò anguſtis includendos, multos agros eoſq; fœcundos, vnà cum imperio ampliſsimo, per multa ſecula duraturo, comparaturos: Contenti ſint præſentibus: poſt tot annos, quot ſus porcellos edidiſſet, ipſius nepotes amplam & potentiſsimam vrbem condituros. Conditum eſt Lauinium, hinc trecentis annis regnum ſtetit Albanum, poſt Romam translatum, quam forè æternam ex Homeri carmine coniiciunt, in quo Neptunus.

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει
καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένονται.

Latinus. Gerebat bellum aduerſus Rutulos *LATINVS* rex Italiæ, non ſanè felici auſpicio: in ipſo vero belli ciuilis feruore externus adeſſe nunciatur exercitus, oras maritimas vaſtans: vnde bellum ratus oriturum aliud, bello domi omiſſo, in exteros exercitum ductabat, ſperans facilè debellandos primo impetu: ſed conſpecto armorum genere, nonnihil deflexit, caſtris in colle quodam poſitis, vt ſuos itinere feſſos recrearet. Ibi cum quieſceret, paratus ad confligendum cum hoſte, quàm primum illuceſceret, indigetum ſiue dæmon ſiue genius quidam illi aſtitit in ſomnis, monens, vt Græcos, erant enim armati Græcorum more Troiani, & lingua Græci in agri partem reciperentur. Eſſe id è re Latini, & fore bono vniuerſæ genti Aboriginum.

Itidem *AENEAE*, dij penates, eadem nocte per viſionem oblati, eum hortabantur, ſuaderet Latino, vt quamcunq; ſedem vellet, Troianis permitteret, malletq; Græ-
Aeneas.

cis vti amicis quàm hoſtes experiri. Poſtridie, acie vtrinq; inſtructa, miſsi caduceatores ſunt, & audita expoſtulatione Latini, & excuſatione Aeneæ, habito colloquio, datiſq; obſidibus pax ſancita, & communi ope expeditio in Rutulos ſuſcepta eſt, Rutuliſq; ſubactis, ab Aenea conditum Lauinium.

Cic. è Bruto Accij: *TARQVINIVS* ſuperbus iens cubitum, paſtorem vidit in ſomnis, qui accedens ipſum duos conſanguineos arietes è grege eligeret, eximiè pulchros: quorum alterum altero præclariorem immolaret Superbus: Alterius verò, huius germani ictu ipſe proſterneretur, grauiter ſaucius: Reſupinus autem in cœlo contueretur maximum ac mirificum facinus dextrorſum orbem flammeum radiatum Solis liquier curſu nouo. Apud Tarquinium verò Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, quem hebetem putabant æque ac pecus: Sed is ſapientia munitum pectus egregium gerens, regno Tarquinium expulit, & ſtatum regium in annuos conſules mutauit: Vnde ex eodem Accio: Id quod de ſole oſtenſum eſt tibi, populo commutationem rerum portendit fore, per propinqua hæc bene verruncent populo, nam quod ad dextram cepit curſum ad læua ſignum præpotens: Pulcherrime auguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore. Tarquinius.

*ASTYAGIS* regis Medorum duo memorantur ſomnia, Clio Herodoti, & Valer. Max. 1. c. 5. de Mandane filia: quia prole maſcula carebat. Hæc enim viſa eſt ei altum dormienti Aſtyages 1.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

mienti tantum vrinæ reddere, vt omnes Aſiæ gentes inundant, magnamq́; terrarum partem: ideo non illuſtri alicui familiæ Medorum locare filiam voluit, ne in illum regni decus tranſiret: Sed Cambyſi Perſæ, bonæ quidem & honeſtæ familiæ viro, ſed ingenij ſedati atq; ſimplicis, atq; infra mediocrem gentis Medorum conditionem ſe gerenti, collocauit.

Deinde illo ipſo anno, quo filiam in matrimonium Cambyſi tradiderat è genitalibus eiuſdem, vitem enaſci ſomniauit, quæ in eam vſq; amplitudinem excreſceret, vt ſuis palmitibus omnes imperij & dictionis terras iuumbraret, & vniuerſam Aſiam occuparet. Filiam itaq; partui vicinam, & ad ſe accerſitam, cuſtodiæ mandauit, & quam ὀνειροκρίται naſcituram prædicebant prolem, ei ſucceſſuram, Harpago familiari ſuo commiſit necandam, Nepotis felicitatem & potentiam, cœleſtûm iudicio & fato decretam, nulla ars humana, nullum conſilium inhibere potuit.

Nam Cyrus ex hoc Mandanes & Cambyſis coniugio procreatus, Medis pariter & Perſis, monarcha imperauit, & regibus ditiſsimis potentiſsimiſq; ſubiugatis, totam Aſiam tenuit.

Cum Cyro dormienti ſol ad pedes viſus eſſet, ter eum ſcribitur fruſtra appetiuiſſe manib. cum ſe conuoluens ſol elaberetur & abiret. Ei magi dixerunt, ex triplici appetitione ſolis, 30 annos Cyrum regnaturum eſſe portendi: quod ita euenit, nam ad ſeptuageſimum peruenit, cum 40. natus annos regnare cœpiſſet.

Cyrus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Cyrus traijciens Araxem in Schythia aduerſus Tomyrim reginam Maſſagetarum conſpexit per quietem Hyſtaſpis filium natu maximum. humero vtroq; alatum: quarum alarum altera Aſiam obumbraret, altera Europam. Quo & de obitu ſuo, & de ſtatu regni Perſici ad aliam familiam transmittendi, fuit admonitus. Darius enim Hyſtaſpis tertius à Cyro rex fuit ſublatis magis, ſiue legitimis procerum ſuffragijs ſiue arte Oebaris equiſonis iuuenis annorum viginti, è cuſtodia ad regni culmen euectus. Cyrus

Cyrus lecta epiſtola Harpagi, qua hic illum ad capeſſendum regnum Medorum hortatus, & Medorum tranſitionem ad ipſum, pollicitus fuerat, eandem viam ſomnio aggredi iuſſus eſt: & idem Cyrus Sybarem, in Perſis genitum, quem primum omnium habuit obuium, ſeruum, de ergaſtulo cuiuſdam Medi liberauit iuxta nocturnum viſum, comitemq; in omnibus reb. habuit, Perſis præfecit, eiq; ſuam ſororem in matrimonium tradidit.

Xerxi ſomnium magnitudinem primum regni Perſici depinxit. deinde decrementum & ruinam: Viſus eſt enim ſibi caput cingi corona oleagina, terras omnes latiſſimè obumbrante: cum verò ſtatim euanuerit, collabefactionem regni Perſici deſignauit. Xerxi.

Mulier ſicula Himeræa, priuatam ad huc agente vitam Dionyſio, ſomnians cœlum conſcendit, & omnium luſtratis diligenter ſedibus, virum conſpexit grandem & procerum, colore pallido, lurido, ex pallore & flauedine mixto, lentiginoſiori, multis maculis, ferreis catenis ligatum, & ad pedes ſolium q; Iouis iacentem. Cumq; ex iuuene, á quo ad contemplandas ſedes cœleſtes ſubuecta fuerat, quæreret, Quis eſſet? Ille, Liberum vinculis ſolutis eſſe dimittendum, reſpondit: Et tum quidem exitio fatali futurum Siciliæ, multisq; Italiæ vrbibus dirum. Id viſum poſtero die vulgauit, ignoto adhuc Dionyſio. Poſtquam autem rex factus eſſet & effuſo ad noui regis ſpectaculum populo, mulier accurreret, Væ vobis exclamauit; Nam ille ipſe eſt, quem in quiete videram. Mulier ſicula.

Iohannes Hyrcanus tribus rebus fœlix iudicatus, principatu, ſacerdotio annorum 31. pacifico, dono prædictionis, Alexandri Iannæi pater Simonis filius, Matthiæ nepos, cum de ſucceſſione filiorum cogitaret ſollicitè, in ſomno eſt ei prædictum, ad recens natum Alexandrum (habebat enim Iohanes Hyrcanus.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Præter hunc, Antigonum & Ariſtobulum, egregios iuuenes, & Abſolonem, qui, ingenio quietior priuatus vixit, & alium ἀνώνυμον, qui ab Alexandro tandem de regno ambito ſuſpectus, fuit cæſus) principatum & opes deuenturas. Quamobrem indignatus, eum viuere in conſpectu ſuo noluit, ſed in Galilæa priuatim, à regni & reipublicæ curis amotum, educari curauit. Verum fuit fatidicum hoc ſomnium, nam à patris morte eſt quidem cum alijs fratribus duobus in Vincula coniectus, anno tamen elapſo, auxilio & arte coniugis Ariſtobuli Alexandræ, quæ alio nomine eſt Salome, ad regnum euectus fuit. cum ei connubij ſpem feciſſet.

Antigonus. Amplum & mirê præclarum campum ingreſſus Antigonus Syrus auri, vt ſibi videbatur, ramentis eum conſeuit: Hinc primum exurgere aurea meſſis: mox rediens non longo interuallo interiecto, nil niſi demeſſum culmen inuenit. Cum verò audiret Mithridatem (ſecundus is fuit, genere Perſarum regio, cognomento κτίσης ex Achæmenidarum ſanguine, Ariobarzanis filius) in pontum fugere, (fugit autem monitu Demetrij Poliorcetæ) aſportantem ſecum auream meſſem, Mithridati eſt inſidiatus: Sed hic deprehenſo periculo, cum ſex equitibus fugit, Pontumq; & Paphlagoniam, amplas & præclaras prouincias occupauit, ediditq; nobilem regum Ponti Proſapiam: è qua Mithridates ſextus cum Romanis bellum anceps & acerrimum geßit.

Pompeio & Cæſare, qui poſt, fatali conuerſione ſtatum reipub. mutante, bella inter ſe geſſerunt patriæ exitioſa, adhuc conſentientibus, Cicero puerum facie liberali demiſſum cœlo catena aurea ad fores Capitolij dormiens conſtitiſſe vidit, eiq; Iouem flagellum dediſſe. Id ſomnium poſtridie narrauit amicis proſecutus Cæſarem in Capitolium: & viſo Auguſto, hunc ipſum fuiſſe dixit.

Viſus eſt idem accire in Capitolium nonnullos ſenatorum filios: è quibus Iuppiter vnum eſſet deſignaturus Imperij Romani principem: ad eum itaq; contemplandum ciues certatim ruere viſendi ſtudio, templum obſidere, pueri prætextati tacitê conſidere: foribus patefactis omnes pueri Iouem prætereuntes dimißi ſunt triſtiores, Soli Octauio dextram porrexit Iuppiter: Hic, ait, Quirites bellis ciuilibus finem imponet, cum fuerit principatum adeptus.

Cicero.

Poſtri-

Poſtridie inter pueros ab exercitationibus, quæ Romanæ iuuentuti erant vſitatæ, redeuntes, Octauium conſpectum, ſomnij memor, ſalutauit.

Q. Catulus ſomniauit primum Iouem prætextatis plurib. circum aram ludentibus, ex horum numero vnum ſecreuiſſe inq́; ſinum eius ſignum reipublicæ repoſuiſſe. Deinde animaduertit in gremio Iouis Capitolini eundem puerum, quem cum iuſsiſſet inde auelli, fuit prohibitus, quòd ad tutelam reipub. educandus reſeruaretur. Die proximè ſequenti Auguſtum puerum obuium agnouit. Q. Catulus

Iulius Cæſar ſtuprum ſe matri inferre ſomniauit, cum eſſet in vrbe, cogitans, qua ratione memorabile quid ſuſciperet, exemplo Alexandri Magni, cuius imagine viſa in Herculis templo doluit, nihil á ſe actum memoria dignum, ætate illa, qua Alexander iam orbem terrarum ſubegiſſet: Ad ampliſsimam autem ſpem excitatus fuit á coniectoribus, arbitrium orbis ei portendi interpretantibus, quando matrem, id eſt, terram, quæ omnium parens eſt, ſibi ſubieciſſet. Suet. cap: 7. Idem de Claudio Cæſare non nulli ſcribunt, infeſtis armis è Gallia in vrbem contendente. Iulius Cæſar Claudius Cæſar.

Octauio patri Auguſti, illa nocte, qua exercitum ducens, per ſecreta Thraciæ in Liberi luco ſacra faciebat, ſiſium mortali ſpecie ampliorem, & auguſtiorem, cum fulmine & ſceptro, exuvijſq́; Iovis opt. Max. ac radiante corona, currum laureatum, cui inſidebat, à biſſenis equis, eximiè candentibus, trahi videre viſus ſibi eſt. Portenderunt hæc inſignia conſulatus maieſtatem, Imperij potentiam, Victorias Auguſti. Octauius.

NERO ultimis vitæ diebus, ſomnio iuſſus fuit, ut thenſam Iovis Optimi Maximi è ſacrario in domum Veſpaſiani duceret, & in circum. Portendit fatale imperium, deorum providentia Veſpaſiano deſignatum. Videntur autem Romani thenſam Iovis eo loco, eaq́; exiſtimatione habuiſſe, quo Arcam Iudæi. Nero.

In Achaia cum eſſet Veſpaſianus, initium ſibi ſuiſq́; felicitatis futurum ſomniavit illum diem, quo Deus Neroni exemptus eſſet: poſtridie eunti in atrium medicus dentem recenter exemptum Neroni, oſtendit, nomen eius, quam pôſt eſt conſecutus, dignitatis imperatoriæ. T. Veſpaſianus.

Vidit idem ſtateram in media veſtibuli Palatinæ domus parte depen- T. Veſpaſianus.

dentem æquo examine: in cuius lance vna Claudium & Neronem: in alterá ſe vidit & ſuos filios. Claudius quidem annos imperauit quatuordecim, quem ſecutus Nero præfuit Imperio annos totidem, ultimus è familia Auguſti: Veſpaſianus verò annos decem, Titus, amor & delitiæ humani generis, biennium & octo menſes, Domitianus annos quindecim.

Traianus. TRAIANO, antequam Imperator crearetur, & in ſomnis vir ætate provectior veſte purpurea indutus apparuit & corona aurea conſpicuus, quali ſenatus pingitur, primum in Siniſtram iuguli ipſius partem, poſt in dexteram annulo ſignum imprimens. Deus addit autoritatem magiſtratibus, eosq́; quaſi ſigno ſacro ſanctos eſſe vult & inviolabiles.

Adrianus. ADRIANO, cum ſtudijs pacis & literarum celebri, tum diſciplinæ militaris ſcientiſſimo, conſobrino Traiani, & ſucceſſori, pridie eius diei, quo imperium accepit, cum eſſet Antiochiæ Syriæ, viſus eſt ignis de cœlo delapſus aere puro & ſereno, in ſiniſtram iuguli partem incidere, mox in dextram ſerpendo eandem lambere: quo neq; læſus fuit, neq; perterritus. Simile huic prodigium de Aſcanio Aeneæ filio habet Virgilius II. Aeneidos.

Leuis ſummo de vertice viſus Iuli.
Fundere lumen apex, tactuq́; innoxia molli
Lambere flamma comas: & circum tempora paſci.

Habet par huius viſu euentuq́; mirabile Liuius Dec. I. lib. I. Puero dormienti, cui Seruio Tullio nomen fuit, caput arſiſſe ferunt, multorum in conſpectu: moxq́; cum ſomno & flammam abiiſſe. verum revertor ad ſomnia.

M. Antoninus. M. Antoninus Philoſophus, antequam Cæſar deſignaretur, humeros & manus eburneas ſe habere, in ſomnis opinatus eſt, quibus dextrè & commodè ad omnes vſus humanos vteretur.

M. Antonini vxor. M. Antonini uxor Fauſtina prægnans, in ſomnis viſa eſt ſibi parere ſerpentes, & ex his unum cæteris ferociorem. Genuit autem Commodum, cuius natura monſtroſa diſciplinam omnem vicit & vixit tanta execratione omnium, ut hoſtis humani generis etiam mortuus iudicaretur: Eutrop. lib. 8.

Herodianus libro undecimo, Quo tempore Romanum imperium quaſi ſublime penderet, & ſub haſta direptioni cuivis pateret, & Niger



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

atq; Iulianus, alter deſes, alter minus efficax eſſet: ubi nunciatum eſſet, Pertinacem ad Imperium aſſcitum facto Seuerus ſacrificio, & iuramento fidelitatis præſtito, domum egreſſus eſt: veſperi verò in ſomnum delapſus, grandem vidit & generoſum equum, rigijs phaleris ornatum, qui inſidentem Pertinacem per urbem ferabat & per mediam, quæ Romæ eſt, ſacram viam. Ut verò pervenit ad fori ingreſſum, quo olim in ſtatu populari conueniebat populus equus Pertinacem excuſſum abiecit, ipſiq; Severo ſe dimiſſe ſubſternens, in ſublime, tergo impoſitum ſuo extulit, & in medium forum pertulit, in quo ab uniuerſa multitudine conſpectus, cum veneratione exceptus eſt. Addit autem Herodianus durare ſuo ſeculo in loco ſomnij imaginem maximam ex ære conflatam, hoc eſt uſq; ad M. Antonini tempora. Arrepto verò Seuerus imperio, Imperator primum in Pannonijs ſalutatur, quibus tum præerat, hinc Romæ ſenatus decreto cenſirmatur. Seuerus I.

Idem filium Antoninum appellauit, quia eiusdem nomnis ſucceſſorem ſibi dari in ſomnis vidit: ægre autem ferens mater Iulia, aditum ad Imperium filio natu minori, Getæ intercludi, etiam hunc Antoninum vocari voluit. & pater utrumq; Antoninos & ſucceſſores ſalutauit. II. III.

Eiuſdem Septimij Seueri, plurima ſunt ſomnia alia, protper hæc commemorata. Quale eſt de exercitu, à quo in Gall. ſe Imperatorem dici ſibi viſus eſt. IIII.

De uberibus lupæ, quibus ſibi præberi opinatus eſt, exemplo Romuli primi Romanorum Regis. De ſpecu in quam deductos omnes terrarum tractus & mare in ſomnis circumſpexit, quibus inſtar inſtrumenti muſici pulſatis, magnopere ſonorum ſuauitate fuit delectatas. V. VI.

De aqua, quæ de manu dormientis copioſè, tanquam de fonte limpido, profluxit. VII.

De aquilis, quarum numerum interpretatur Spartianus de annis Severi: Imperauit autem annos 18. mortuus eſt anno ætatis 89, ſecundum Spartianum, 65 iuxta aurelium victorem. VIII.

Parentes Theodoſij (fuit is filius Theodoſij, vel ut alij Honori, & Tharmantiæ, natione origine Hiſpanus) admoniti ſunt ſomnio vt filio hoc nomen fecerit, quaſi à Deo dato, idq; conſentit cum Oraculo, quo Valenti Theodoſius.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Imperatori ſucceſſor deſtinabitur is, in cuius nomine eſſet initialis litera Salutatus verò Auguſtus eſt, & paludamento purpureo indutus à Gratiano.*

*Fertur idem in ſomnis vidiſſe ſenem ſacerdotem Meletium, à quo corona augusta, & pallio Imperatorio ornaretur, eumq; poſteaquam, bello confecto, quod geſſerat aduerſus Barbaros, à Gratiano ſucceſſor conſtitutus eſſet, conuocata Synodo Nicæa agnouit nemine monſtrante, Theod. 5. c. 6. 7.*

Philippicus.

Philippicus *Bardanius Imperator, filius Nicephori patritij ò familia nobili, per quietē viſus eſt ſibi circa caput ab aquila ſuperuolitāte inumbrari. Deportatus eſt ab Tiberio Abſimaro in Pontum, ne ad regnum aſpirandi ſpem conciperet, ſed quod diuinitus portendebatur, ab homine impediri non potuit, quia Imperator crearetur.*

Baſilius.

Baſilius *homo captiuus inter venales Conſtantinopolin adductus, Megapoli noctu in fouea ante S. Diomedis ſomnū capiens, quia non habebat ſumptus, Diomedis iuſſu à Diacono, nondum ſacris initiato, iuſſus eſt rex intromitti: Diaconus ſibi illudi exiſtimans, adoleſcentem vidit & abijt: fecit id ſecundum: tertio iuſſus regem introduxit, & pro præſenti copia neceſſaria ſubminiſtrauit. Baſilius autem primum protoſtratur, hinc rex factus eſt, princeps frugi, &, ſi conatum ſpectes, non contemnendus: etiamſi obſcuro eſſet genere, vt nec patriam, nec parentes ſaltem ciere poſſet. Eſt autem DEVS, qui de ſtercore erigit pauperem. Eandem ipſi dignitatem portendit aquila, dormienti, ruri opus facientibus parentibus, paſſis alis vmbram faciens, ne radijs ſolaribus læderetur: vnde regium honorem ipſi deberi mater eſt augurata: quemadmodum & Xenophon ſibi dignitatem imperatoriam, cuius bis meminit* ἐν Ἀναβάσεως.

*Lib. 6. cap. 34. Hiſtoriæ belli Hieroſolymitani, editæ à Clariſſimo viro Reinero Reineccio huiuſmodi ſomnium extat, Hezelo de Kinuilre villa miles in exercitu Chriſtianorum, qui militabant in Palæſtina pro recuperanda terra ſancta, cum duce Godefrido in Sylua venationis labore defatigatus, & ſopitus ad montem Sion tranſlatus eſt in ſpiritu, vbi Moyſes quadraginta dierum ieiunio peracto, claritatem Domini vidit, & legem per manum mediatoris accepit. Dei ſcriptam digito. In huius montis verticem, vidit ducem attolli aſcenſu facili, ita vt nec terreretur vehementer, nec confidenter exultaret*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*ſaret duoſq; albis vectibus indutos, & ornatu pontificio conſpicuos, obuiam feſtinantes dicere: Eiuſdem Dei viuentis benedictione & gratia replearis, Qui ſeruo ſuo fideli Moyſi gratiã & benedictionem contulit. Dux atq; gubernator populi Chriſtiani & vere conſtitueris*

*Aliud ſomnium eſt libro eodem cap. 36. Giſelberti, Canonici S. Mariæ Aquiſgrani, ſeptimo menſe peregrinationis à duce Godefrido ſuſceptæ. Videbatur ei dux in Sole ſedem collocaſſe, & ex omni auium genere, quæ ſub cœlo ſunt, in circuitu illius infinitæ copiæ confluere; quarum pars, alia poſt aliam auolauit, maior pars ad dexteram, & ad ſiniſtram remanſit. Hinc Solis partem potiorem putauit obſcurari, ſede ducis breui deleta, & tota multitudine auium dilabente.*

*Tertium eſt lib. cap. 26. eiuſdem ſignificationis: Stabuloni, ducis Camerario oblata fuit, ſcala aurea, cuius extremitates cœlum & terram attingerent: Eius dux cupius, cum Rothardo ſuo* οἰνοχόῳ *lucernam in manu ferente, conſcendere conatus eſt, ſed pocillatori, media ſcalæ parte ſuperata, lucerna extincta, & medius ſcalæ gradus, qua ad cœlum aſcenſum moliebantur, læſus & attritus eſt. Retro igitur ceſſit, de ſcala deſcendens. Tum Stabulo, lucerna iterum incenſa ſcalam intrepidè conſcendit, & lucem inextinctam ferens, ducemq; comitatus ad aulam cœleſtem peruenit: Menſamq; paratam, omniumq; lauticiarum copia inſtructam reperientes, dux & alij, ca digni, ſuauiter ſunt epulati.*

*Vniuſmodi ſunt interpretationis hæc ſomnia, Ducem futurum cruce ſignatorum Godefridum & principem vrbis Sacræ Hieroſolymorum, eius, quam filius Dei, Sol iuſticiæ, ſuis radijs illuſtrauit montiſq; Sion vnde Lex & ſalus prodijt in omnes gentes.*

*Deſertus autem fuit, à non-paucis patriam repetentibus tædio longinquæ & diuturnæ peregrinationis: & tandem infinitis laboribus exantlatis in manus & poteſtatem paganorum incredulorum Palæſtina redijt, Sarracenorum ſcilicet, qui eam vrbem tenuerunt ab anno Chriſti 637. captam duce Homare, vſq; ad 1099. quo anno recuperata a Chriſtianis eſt 15. Iulij, mortuus q; paulo poſt Godefridus dux Bilioneus, primus rex Hieroſolymorum anno Chriſti 1100. 15. Cal. Auguſti, anno regni Hieroſolymitani, primo, ſed occupatarum eſt a Saladino 1187.*

*Tartaris*

Changius.

*Tartaris, in extremum adductis diſcrimen ſe offerens, Changius quidam faber ferrarius, quòd ſibi id invictum à milite armato candori inſigni, albo inſidente diceret, ſe illum eſſe, qui Tartaris res reſtitueret lapſas & deſperatas de voluntate Dei immortalis, primum quidem irriſus fuit: poſt verò duces Mongali, quorum erant ſeptem iuxta numerum nationum, in quas tota gens erat diuiſa, uno & eodem ſomnio moniti, necis & vitæ poteſtatem in ſe ſuosq́ꝫ liberam Changio commiſerunt, eiq́ꝫ ad nutum, quantùmvis humili & ſordido eſſet genere, ſponte paruerunt. Huius Imperium referunt ad annum Chriſti 1205. ad Philippi, Friderici Barbaroſſæ filij annum 8. ſecutusq́ꝫ eſt eum inter eos, qui rerum præclar: geſtarum gloria ſunt memorabiles, Tamberlanes, aliàs dictum Temyris Canis, qui Baiazetem Primum Imperatorem Turcarum, ad ſtellam Armeniæ montem, cæpit, & aureis catenis vinctum, in ſpectaculo circumduxit, A. C. 1305. ſiue 1397.*

*Eidem Changio Can, ſiue Chingi, eques autor fuit expeditionis vltra montem Belgian (ut alijs eſt Imaus) qui mari alluitur, qua expeditione multas terras ſubegit, mari ipſo cedente, & ſemitam dante nouem pedum.*

Valeſca.

*Aeneas Syluius qui poſt adeptus Pontificatum Romannm nomine pij 2. ſe venditavit (conſueuere enim Pontifices Romani, mutata vitæ conditione vnà cum dignitate nomen aliud aſſumere, ut ſcilicet habeantur auguſtiores) de Valeſca, appetente regnum contra Primislaum tertium Boemiæ ducem, quem Lybiſſa heroina, ex agro, in ferrea menſa cibum capientem, hoc eſt, vomere maritum elegerat, & regem ſcribit, quod poculum apparuit toxicatum quo omnem ſexum virilem, vnà cum ſuis æqualibus, exemplo Amazonum regnum occupaturis, extinguerent: Primislaus autem vidit virginem ſibi per quietem cruore plenum poculum miniſtrare: Tertius ſomnio, ac malum, quod hoc ſignificabatur, ſuſpicatus, ne exercitia virilia fœminis permitterentur, proceres fideliter monet, ſed ridetur. At Valeſca ſui minimè negligens, aut ſecura, exercitum contrahit, & Primislao regni habenis excuſſis, occupataq́ꝫ tyrannide, ſeptem annis cum poteſtate regia præfuit.*

Archelaus.

*Ioſeph. 2. Belli Iudaici lib. lib. 6. Somnium recenſet Archelai, filij Herodis Magni è Marthaca Samaritide, qui dictus eſt à Dione Heredes Palæſtinus. Is antequam ad Cæſarem vocaretur, ad dicendam cauſam, nouem*

ariſtas

*ariſtas ſomniauit fæcundas & maximas à bobus conſumi. Id Simon quidam de ſecta Eſſæorum ( de qua idem autor cap. ſequenti ) interpretatus eſt, annos tot numero ſpicarum ſignificari, quibus eſſet regnaturus, & potentia vſurus maxima : per boues verò ſignificari mutationem & conuerſionem, quòd boues aratro agros inuerterent : Veruntamen mutationem laborioſam, quæ deuoret & abſorbeat merita ſuperiora. Hæc interpretatio fefellit, quia poſt dies quinque ad Auguſtum accerſitus ad dicendam cauſam, & eius regnum in prouinciam redactum eſt ; ipſe nono principatus ſui anno. in exilium miſſus Viennam Galliæ, eiusq́; patrimonium fiſco Cæſaris eſt adiudicatum.*

Sergius Galba *ſumpta virili toga ſomniauit fortunam conquerentem ſtare ante fores defatigatam & feſſam, & niſi ocius recipiatur, cuicunq; obuio prædæ futuram. Poſtquam euigilauit, aperto atrio, ſimulacrum æneum deæ, cubitali maius iuxta limen inuenit, idq́; gremio ſuo, vbi æſtiuare conſueuerat, Tuſculum auexit, & in parte ædium conſecrauit, menſtruis deinde ſupplicationibus & uigilio anniuerſario coluit. Suet. cap. 4. in ſerg. Galba. Ex ſenatore factus eſt imperator cum iam attigiſſet annum ætatis ſeptuageſimum tertium : ſed breue eius fuit imperium, ſeptem ſcilicet menſium, occiſus enim eſt in foro Romano, ſcelere Othonis.* Sergius Galba.

Conſtantius *Conſtantini Magni filius, cum dubius eſſet anceps & animi de bello Parthico, à quibus Parthis multa et grauia paſſus nullum, prælium habuit proſperum, contra Saporem, iam moturus exercitum, & nonnihil in ſomnum prolapſus, in aginem patris ſui vidit obtuliſſe pulchram infantulum, ſcitum, & elegantem, in eius gremio depoſitum: excuſſam verò, quam geſtabat manu, proieciſſe ſphæram. Ferens arma in Iulianum patruelem ſuum, qui conſenſu militum factus Auguſtus fuerat,, ipſo bellis Parthicis occupato, cum ex Antiochia Tharſum proficiſceretur, ad bellum ciuile conuerſus, febri continua & ſemper æquali mortuus eſt apud Mopſucrenē ad Tauri montis radices: Itaq; ſphæram, quod eſt orbis terrarum Imperium, amiſit. Pænæ verò omnium calamitatum, quibus obrutus fuit, & penè oppreſſus, blaſphemæ erat ſectæ Arianæ doctrina, ad quam defecit ab Eccleſia Catholica, multis eximijs viris malè mulctatis, & in exilium miſsis. Igitur inter Imperatores* Conſtantius

vix alius fuit, magū timidus, qui ſemper ſe feriri timebat, vt Dionyſius faſtūque ſufflabatur adulatorum, qui hoc etiam ſomnium interpretati ſunt aſſentatoriè.

D. Vlricus. Diuo Vlrico gladius ſine capulo ſe præbuit conſpiciendum, ſignificans Arnoldum Bauariæ ducem, qui ambibat regnum Germaniæ, totius imperij procerum conſenſu delatum Heinrico Aucupi, vaſtabat templa, ſpoliabat Sacella: non autem obtenturum imperium.

Præsbyter Dreſdenſis. Statum regni Boiemiæ præuidit Anno 1305. Quidam Præsbyter Dreſdenſis in feſto Natiuitatis Chriſti, inter dormiendum. Radijs enim Luna coruſcabat ſplendida, lumine illuſtri ſupra Boiemiam, luce ſic copioſa. vt omnibus eſſet admirationi, & ſtupori. Sed ex improuiſo in piſcem mutata, ſubitò in terram concidit. Tum alia emergens ab occaſu, cum quantitate corporis maior, tum lucis claritate excellentior: Boiemiæq; & Miſniæ incumbens, tantum luminis cepit incrementum, vt ad opus faciendum exirent agricolæ. Obijt eo anno Vuenceslaus 2. reconciliatus cum Alberto Imper. Et occiſus eſt anno ſequente VVenceslaus 3. VVenceslai 2. filius, Othogari nepos: Eiuſq; regnum Albertus reiecto Carinthio, Rodolpho tradidit, ſuo filio.

Interpretati ſunt pleriq; ſomnium de pacis abundantia per Lunam ſecundam ſignificata, quæ futura eſſet ſub illo rege: & de tanta ſecuritate, vt homines noctu non minus ſint futuri tuti, ac interdiu. Sed verò ſimilius eſt, ſignificatos è domo Auſtriaca Boiemiæ principes, qui à Rudolpho Habſbergenſi propagantur vel familia Caroli 4. Imp.

Procopius. Procopius familiaris Iuliani apoſtatæ, et ſocius in eo bello contra Parthos, quo ille cum murmure & odio in filium Dei interijt, quem mortuum etiam poſt ſepeliuit, ea nocte qua Carrhis mouens Euphratem tranſiturus erat, & Lunæ ſacra faciebat. vbi ante aras paludamentum purpureum ipſi tradiderat Iulianus, & mandarat, vt ſi ipſe in pugna interiret, imperium arriperet, ſomnijs diris & crudelibus fuit exanimatus.

Domitianus. Domitianus ad ſe vidit in ſomnis accedere ruſticum. Mineruam verò, quam in ſuo cubiculo collocauerat, ſicut Cicero in ſuo Muſeo ſtatuas

Mercurij.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Mercurij, de quib. ſcribit ad Atticum. Armis abiectis, & curru relicto, quem atri trahebant equi, in profundum ſpecum deſcendere. Id.

Eidem Minerua, iam morti vicino negauit, ſe amplius poſſe opitulari. Quo cum eſſet territus, ſubito pauore ſeſe mouens, ſomnolentus de lecto decidit. Idem.

De ſucceſſoribus verò in renibus, ſibi pone ceruicem gibbam enatam auream exiſtimauit. Habuit ſucceſſores Neruam & Traianum principes optimos, quemadmodum & pro certo habuit beatiorem poſt ſe lætioremq́ Reip. portendi ſtatum, vt ait Sueton. in Domitia: c. 23.

Sabaci Regis Aethiopum metu, in Aegyptum incurrentis, in paluſtria ſe receperat Aniſis, nepos Mycerini, in inſulam Elpo. Regnauit verò cum ſumma laude in Aegypto Sabachus annos quinquaginta, adeò vt ab Oſea rege Iſraelis ad fædus ſit ſollicitatus. Abdicauit autem ſe tandem regno, quodam nocturno viſo, quo iuſſus fuit ſacerdotes diſcindere medios, in vnum locum congregatos: hac enim ratione diuturnum poſſeſſurum regnum & ſtabile. Sed veritus ne piaculo admiſſo, cladem ſibi & calamitatem ipſemet ſua acerſeret impietate, regno relicto repedauit in Aethiopiam. Sabach.

Sethon Aegyptijs exoſus, ſennacheribiſq́ Arabum & Aſſyriorum regis armis impetidus, in magna trepidatione de ſua ſalute dubijſſe, templum eſt ingreſſus, & coram idolo lacrymas & preces fudit ardentiſſimè: animo verò defatigatus, & ſomno oppreſſus, Dei ſimulachrum dormiens vidit aſtantis, & ne animo frangeretur, adhortantis, ſe in hoſtes eunti ſuppetias laturum. Armis ſumptis Sethon, cum ijs, quos fidos adhuc habebat, manum ſanè exiguam, caſtra ad Peluſium lætus metatur. Sethon.

Ea nocte innumerabilis murium agreſtium copia, corytos, arcus, armorum vincula arroſerunt: quo monſtro perterriti, deſperata ex portento victoria, hoſtes fugerunt. Quare in templo Vulcani lapidea eſt Sethonis ſtatua, manu murem tenentis, addita hac inſcriptione εἰς ἐμὲ τὶς ὁρῶν, εὐσεβὴς ἔσω.

Eo tempore, quo Xerxes Græciam inuadebat, tanta copiarum militarium multitudine, vt Græci ſagittas Perſis emittentibus, ſub vmbra pugnaturi dicerentur, ſolis lumine obſcurato, Arimneſtus Prætor Platæenſium interrogatus à Ioue Serratore in ſomno, quid ſtatuiſſent Græci, reſpondit: Cras eleuſina Domine: mouebimus hinc caſtra, ibiq́ ex ſortibus & Oraculo Apolli- Arimneſtus.

*Apollinis dimicabimus. At errare ipſum Iupiter monuit: Nam oraculo ſignificari illum ipſum locum in finibus Plataarcis. Reperit autem & ipſe & ſeniores diligenti inquiſitione, per quam vetuſtum fanum Ceteri Eleuſinæ & Proſerpinæ dicatum ſub Citherone.*

Pelopidas.

*Antequam congrederetur cum Lacedæmonijs,* Pelopidas, *quorum dux erat Cleombrotus, filias Scedaſi, quas abſente patre illarum quidam Spartani ſtupratas in puteum coniecerant, terra deſuper ingeſta, & impunes euaſerant, vidit deuouentes totam ſtirpem Lacedæmoniorum. Vidit Scedaſum, præcipientem, ſi hoſtes vincere vellet, flauam Virginem ad expiandum ſcelus infandum & luſtrandum exercitum, clademq; in hoſtes vertendam, puellis vt immolaret. Incertus animi, & à victimis humanis abhorrens, perturbatuſq;, & cum primoribus deliberans, ex improuiſo, equam cum pullo de grege per armatos ad conſilium accurrentem, ibiq; claro lætoq; hinnitu edito ſubſiſtentem, calore flauo, iuba inſigniter rubra, Theocrito interprete & autore, coronis de more ſacrorum redimitam, Agamemnone ſapientior, qui filiam Iphigeniam in Aulide tempeſtatibus mactauit, & mitior C. Mario, qui terrore Cimbrico Calpurneam filiam occidit, immolauit pro filia ſubſtitutam, & vnà cum Epaminunda ſocio victoriam eſt conſecutus. Vltio diuina in Lacedæmonios Pelopidam inſtigauit, vt violati hoſpitij, pudoris, caſtitatis, pœnas luerent, ob non punitam libidinem paucorum* πολλάκι γάρ ξύμπασα πόλισ κακȣ̃ ἀνδρόσ ἐπαυρε̃ι.

Ariſtander.
Artemid. 4. cap. 26.

Ariſtander *Alexandro Tyrum obſidenti, & quia differebatur deditio, triſti atq; anxio, cum per ſomnum vidiſſet Satyriſcum in ſcuto ludentem, felicem pollicitus eſt ſucceſſum. Etenim ſi ſyllabas nominis dirimas* Σὰ Τύροσ *Tua Tyrus, in Alexandri poteſtatem Tyrum peruenturam coniecit: Et quidem ſic accidit menſe, à quo obſideri cœpta fuerat, ſeptimo, anno Alexandri quarto.*

*Cum vrbe illa poteretur, Hercules, qui à Tyrijs (quorum vrbs Zor eſt in ſacris literis) religioſiſſimè colebatur, è muro dextram Alexandro viſus eſt porrigere. Hæc ſomnia vel ad præſentiam illam vniuerſalem ſunt referenda, vel, ſi cui placet, ad diabolica, & ad præſtigias mali dæmonis, qui cum ſe inſinuet in deliberationes hoſtiles, ab vtraq; parte, & ſtudia intelligat, machinas,*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*chinas, colloquia, ſtatum, ſi ex his atq; alijs indicijs, quorum eſt ſagaciſſimus venator victoriam interdum prædicat, non eſt admirandum aut nouum.*

Pyrrhus *mouens in Macedoniam, accitur in ſomnis ab Alexandro Magno: quem viſus eſt ipſe accedere morbo decumbentem: At ille nihilominus, quamuis æger, auxilium blando ei comiq; vultu promiſit: Et interrogatus, Quî auxilio venire poſſit, corporis ægritudine detentus, Ipſo nomine, inquit, præſto ero. Ac Niſæo equo accepto ducem ſe Pyrrho præbuit. Eſt quidem rex Macedoniæ ſalutatus Pyrrhus, ſed eius poſſeſſione excuſſus à Lyſimacho.* **Pyrrhus.**

Sacerdotes Proſerpinæ, *Cererem & eius filiam videre viſæ ſibi ſunt ad peregrè proficiſcendum & ad fugam ſe adornantes, quæ cum Timoleonte dicerent ſe nauigaturas in Siciliam. Quare triremem ſacram Corinthij, à dearum nominibus appellatam, huq; nuncupatam parauerunt.* **Sacerdotes Proſerpinæ.**

*Eidem* Timoleonti, *cum in alto nauigaret, & ventis ſecundiſſimis proueheretur, viſum eſt repentè cælum diſcedere, & ſupra nauem copioſa luculentaq; flamma effundi. Inde fax ſeſe extulit myſticis familiaris, eos comitata, & eundem curſum tenuit, inq; eam Italiæ partem delata eſt, quam potiſſimum gubernatores petebant. Expeditio Timoleontis adeò fuit felix, vt auſpice, duce, præſide DEO omnia geri viderentur.* **Timoleon.**

*Liuius lib. 8. Decad. 1. Ad Capuam bello contra Latinos, in quiete vtriq; conſulum* Tito Manlio *Torquato III. conſuli,* P. Decio *Muri eadem dicitur viſa ſpecies viri maioris, quàm pro humano habitu auguſtiorisq; dicentis. Ex vna acie Imperatorem, ex altera exercitum Dijs manibus matriq; terræ deberi, Vtrius exercitus Imperator legiones hoſtium, ſuperq; eas ſe deuouiſſet, eius populi partisq; victoriam fore. Hos vbi nocturnos viſus inter ſe Conſules contulerunt, placuit auerruncandæ deûm iræ victimas cædi: ſimul vt ſi extis eadem, quæ ſomno viſa fuerant, portenderentur, alter conſulum fata impleret. Deuouit ſe Decius pontifice verba praeunte, ſeq; in medios immiſit, obrutusq; telis eſt, cæſi hoſtes, vix quarta parte relicta: Latini acciſi, Romanis ſe dediderũt. Idem* Decius *alio tempore inter confertiſſimos hoſtium cuneos ſe obrutum telis ſomniauit, non autem oppreſſum. Circumuentus quidem fuit, ſed virtute ſua ſe expediuit magna cum gloria.* **T. Manlius. P. Decius.** **Decius.**



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Darius vltimus.

Darius vltimus. *Codemanus, phalangem Macedonũ agmine longo incedentem vidit, & ignis fulgore vndiq; collucentẽ, quo igne obuia quæque longè latèque depaſceret. Alexandrum verò eo habitu conſpexit, eaq; ſtola, quam olim geſtare ſolitus fuerat, cum regis Aſgandes, ſeu Aſcandes eſſet, & regi ſeruiret. Eſt autem Aſcandes lingua perſica nuncius, vel Aſcandes cubicularius. At cum in templum Beli ingrederetur Alexander, viſus eſt ſe oculis ſubtrahere & euaneſcere. Chaldæi, quæ gens fuit præter cæteras omnes ſuperſtitioſa, & diuinationibus anxiè dedita, vnde quicunq; nimis cupidè & ſuſpensè rerum futurarum præſenſionem aucuparentur, peculiari nomine dicti ſunt Chaldæi: Hi igitur diuerſis opinionibus ſomnium explicarunt, ſed euentus docuit, ſignificari per ignem rerum à Macedonibus geſtarum celebritatem illuſtrem: Per habitum Perſicum, Imperium Aſiæ, quo eſſent Macedones potituri, ſicut eo potitus fuerat Darius, ex Aſcande & miniſtro regio rex factus. Templum verò gloriam & immortalitatem nominis. Quòd verò euanuit, vitæ breuitatem ſignificauit, quam vltra annum trigeſimum ſecundum non produxit.*

Alexander.

Alexander *Magnus monitus eſt in ſomnis, caueret ſibi ſuæq; vitæ à Caſſandro. Quanquam autem nec faciem Caſſandri tum norat, ac ne nomen quidem, & adiecto verſu Græco, ſomniorum fidem eleuaret, tamen euentus eſt ſecutus. Nam Caſſander Antipatris filius, Cariæ ſatrapiæ à Perdicca præpoſitus, odium inde conceperat, quòd ad Alexandrum miſſus in Aſiam, vt quam de Antipatro, affectati imperij ſuſpicionem conceperat, animo eius eximeret, cum barbarum in adorando rege morem riſiſſet, capite parieti alliſus eſſet ab irato Alexandro. Itaq; poſt aliquot annos interfectus eſt à Caſſandro Alexander, præparato in ipſius caput potu lethifero, quo occidiſſe Caſſandri manu propinato dicitur, non neſcio Ariſtotele: & tota Alexandri poſteritate ſtirpitus deleta, ſub eiusdem poteſtate fuit Macedonia.*

Iudas Maccabæus.

Iudas Maccabæus *Matathiæ filius, dux belli aduerſus Syros, iam ruente principatu Iudaico ante Chriſtum: non enim gubernarunt nomine regio, vidit Oniam III. Pontificem, iam defunctum, orare pro populo: à Hieremia verò Propheta gladium ſibi porrigi, quo hoſtes inuaderet: Omen victoriæ*

*victoriæ aduerſus Nicanorem Demetrij 1.* Σωτῆρος *legatum, quem pugna ad omnes poſteros memorabili fudit.*

Hannibal.

Hannibal, *dux Carthaginenſium, in bello ſecundo punico aduerſus Romanos, miſſum ſibi à Ioue in ſomnu exiſtimauit iuuenem mortali ſpecie excelſiorem, inuadendæ Italiæ ducem. Primùm nusquam circumſpexit, pòſt veró reſpiciens, quia nitimur in vetitum, prohibitus autem fuerat ne id faceret, immenſi voluminis & horrendæ magnitudinis ſerpentem vidit, concitato impetu, obuia quæq; proſternentem, poſt eum magno cum cœli fragore erumpentes nimbos, lucemq; caliginoſis inuolutam tenebris. Interroganti quid prodigij, Reſpondetur, Italiæ vides vaſtitatem, proinde ſile, cætera fatis tacitus permitte. Quantas Italiæ clades intulerit Hannibal ad Trebiam, ad lacum Thraſymenum, ad Cannas, Liuius deſcribit Decade tertia: & Silius Italicus.*

Eumenes.

Eumenes *Alexandros duos aciem vidit inſtruere ad prælium, ac ſingulas vtrumq; phalangas ductare: quorum vni Minerua, alteri Ceres auxilio eſſet. Commiſſa pugna, fundi eum exercitum cui præerat Minerua: Victori Cererem è deſectis ſpicis coronam texere. Hoc Eumeni fauſtum fuit: Pugnans enim pro agro optimo, ſegete iam è vaginis, quibus includuntur, ariſtas fundente Craterum vicit.*

Antiochus ſoter.

Antiochus ſoter *expeditione inſtituta aduerſus Galatas, quos in ipſius ditionem immiſerat Nicomedes Bithynus, Lotario duce (videtur is eſſe Lotharius voce Saxonica) in ſomnis audiuit à Victoria, ſibi ſpem fieri victoriæ ſi pro teſſera triplicem triangulum inter ſe quinquelinearem, cum quibusdam characteribus, vſurparet.*

Lucullus.

*Capta Sinope, oppido ad Pontum Euxinum nobiliſſimo & bellicoſiſſimo, cæſiſq; Mithridatis, cladibus ſuis ſemper ferè terribilioris, fortiſſimis copijs* Lucullus, *à quodam aſtanti illi cum ſomnium caperet, paululum iuſſus eſt progredi, venire enim Antolycum, vt ipſum conueniat. Inſequens hoſtes Antolyci, commilitonis Herculis ſtatuam inuenit, opus egregium & elegans Stenidis, relictum à Cilicibus, qui vrbe inflammata fugerant, & præ trepidatione ſtatuam deſeruerant.*

*Ad Signium Campaniæ vrbem in Lepino monte ſitam L. Cornelio*

Syllæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

**Sylla.** Syllæ, *C. Marius pater, ſepties conſul, iampridem defunctus, apparuit dormienti, viſus admonere filium ſuum, vt diem ſequentem caueret, futurum enim atrum & infauſtiſſimum. Sylla hoc capiti Marij filij ratus cani, contra hunc copijs eductis dimicat ad Sacriportum feliciter: Marium enim fudit. & cecidit XV. Millia hoſtium: Preneſteq́; fuga delatum obſedit, & ad mortem compulit. Incidit hæc pugna in annum V. C. 672.*

**Sylla.** *Idem* Sylla *aduerſus Marium patrem pugnaturus, à Pallade fulmen accipere ſe eſt opinatus, & iuberi illud telum in hoſtem torquere. Vicit Marium: ſed abuſus victoria in oppreſſionem patriæ.*

*Nicoſtratus, Cilyx, ſiue, vt alij, Phryx. ex vrbe Prymneſſo, iam adultus, cum dormiret, ante lectum proſtratum conſpexit leonem, vnde ominatus eſt animo, victoriam & robur: Quibus acceſſit nominis ipſius ſignificatio. Retulit autem præclaras ex Olympia de Pancratio & lucta victorias.*

**T. Sestius.** T. Seſtius *in ſomnio, quo Taurum quendam in oppido Tuca ſepultum imaginatus fuerat dicere, vt caput eius effoſſum, perticæq́; impoſitum circumferret: Ita n. conſecuturum Victoriam. Hoc ſomnio confirmatus, cum etiam taurum illo in loco, quem ſomnium ei demonſtrauerat, inueniſſet, ſine mora in Africam profectus eſt, Adrumetum, & alias vrbes inopinato aggreſſus occupauit.*

**Thessalus.** *Quidam* Theſſalus *in ſomnis viſus eſt ſibi accipere mandatum à Iulio Cæſare, diceret Cæſari Octauiano, fore pugnam omninò proſperam, iuberetq́; aliquid ſecum ferre eorum, quæ Dictator Cæſar geſſiſſet. Igitur annulum patris, à quo adoptatus fuerat, habebat enim patrem naturalem Octauium, Actiæ maritum, natus ipſe ex nepti Iuliæ, ſororis C. Iulij Cæſaris, induit, neque vnquam poſtea depoſuit, victor omnibus ferè bellis, cum ijs quibus interfuit, tum quæ per legatos adminiſtrauit.*

**M. Antonius Musa.** *Auguſti medico* Antonio Muſæ, *qui poſt victoriam Actiacam naufragio perijſſe ſcribitur in Chronologia Euſebij, ſiue vt eſt apud alios, M. Antonio, cuidam pridie quàm exercitus Octauij Cæſaris & Bruti, libertatis patriæ aſſertoris, iam ad congreſſum inſtructi, in campis Philippicis concurrerent, Minerua præcepit, moneret Cæſarem, ne propter valetudinem minus firmam*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*firmam prælio non intereſſet. Igitur in aciem deportatus eſt, in qua dum pro victoria ſollicitè excubat, & ad pugnam animos ſuorum incendit, ſuaq; præſentia. ſiquidem Imperatoris conſpectus virtuti calcar addit, alacriores reddit. eius tentorium, vna cum lectica, quam reliquerat, vt cubare ibi videretur, à Bruto confoſſum laceratum, captum fuit.*

Conſtantinus Magnns figuram in ſomnis vidit huiuſmodi, vt deſcribirur à Cuſpiniano: Longam haſtam, bracteis aureis amictam, in faſtigio cornu habentem obliquum, in formam crucis diſtentum. In ſummo vertice cornua deſuper nobili figura, quã ἑξω χιαζόμενον appellamus, in arctum conſtricta, quæ primordiales Chriſti characteres oſtenderet: transuerſo de cornu velum pendebat aureum, imaginibus ſacri regis, liberorumq; pectore tenus acu pictum. Iuſſus quoq; fertur in ſomnis ſiue à Deo, ſiue ab Angelo, Conſtantinus Magnus, vt publico edicto circumferri mãdaret ſimulachrum crucis, quæ ex ſtellis conformata, hæc e ementa exprimentibus. ΕΝ ΤΟΝΤΩ ΝΙΚΑ. interdiu illi apparuerat, ducenti exercitum contra Maxentium. De eodem Hiſtoria Eccleſiaſtica ſic habet. Moturus in Maxentium, & ſollicitus, quem in bello DEVM haberet auxiliatorem, ſciens nihil prodeſſe DEOS, quos Diocletianus venerabatur, in ſomnio ad plagam Orientis vidit crucis ſignum igneo fulgore rutilans, cœlo ſplendidè collocatum: mirantiq; viſionem & territo aſtiterunt angeli dicentes: O Conſtantine, In hoc vince. *Cooſtantinus Magn.*

Fertur autem & ipſe Chriſtus apparuiſſe ei, ſignumq; monſtraſſe crucis, ac præcepiſſe, vt figuram ſimilem faceret, & in prælijs auxilium hoc haberet, quo victoriæ iura conquireret. Euſebius itaq; Pamphili cum iure iurando ipſo Imperatore dicente, audiſſe ſe refert, quod circa meridiem, declinante iam ſole, crucis ſignum ex lumine factum & ſcripturam

ram conſertam ei dicentem, In hoc vince, vidiſſet ipſe & milites, qui cum eo tunc eſſent. Pergente namq; aliquo cum exercitu per iter, hoc, inquit, ei miraculum eſt oſtenſum. Dumq; cogitaret, quid eſſet, nox ſuperuenit, & dormienti Chriſtus apparuit cum ſigno quod vidit in cœlo, iuſsitq; vt fieret eius ſigni figuratio, quæ foret auxilium in præliorum congreſſionibus. In hanc crucem, illud ipſum ξω χιαζόμενον, Labarum ( quod erat vixillum precioſius, bellicum, præcedebatq; Imperatorem, & à militibus Chriſtianis adorabatur ) mutauerunt, vt patet ex hiſtorijs Conſtantini, Valentiniani, Theodoſij &c.

*Theodo. M.* Theodoretus de Theodoſio Magno pugnaturo contra Eugenium & Arbogaſtum, qui Herculi in vexillis depicto, crucem habuerunt oppoſitam, vt ait Nicephor. lip. 12. c. 39. ſcriptum reliquit, quòd in fano montano, ea noctis parte, qua Gallorum cantus auditur, inter orandum obdormiſcenti, & in agro iacenti, viſi ſint adeſſe duo iuuenes veſtitu candido & equis inſidentes, niue candidioribus, animos ipſi addentes, & mane exercitum iubentes inſtrui, non tàm ad conflictum, quàm ad victoriam, ſe diuinitus ipſi adiunctos ad opem ferendam. Tum ille præ ingenti lætitia, vt fieri conſueuit, ſpiritibus ſeſe copioſè ex corde effundentibus ad amplectendum bonum oblatum, precibus lacrymas miſcuit.

*Miles Theodoſij.* Idem viſum militi cuidam apparuit, delatumq; eſt ad Imperatorem per tribuum, ad quod Imperator: Non mea cauſa hic miles hoc viſum vidit, ſed ne cui meũ fabula videatur. In conflictu ad riuum Frigidũ tela in ipſos hoſtes ſunt retorta. Victus Eugenius, & ſupplex Imperatori factus, cum ad eius genua prouolueretur, ab iratis militibus capite eſt truncatus, Arbogaſtus, elapſus fuga, quin à ſeſe ſupplicium ſupplicium ſumeret, conſcientiæ furijs actus, obtinere non potuit, manus ſibi ipſi violentas inferens.

Cum

Cum miſſus eſſet Maſecerius, qui eſt alijs Maſce Zoles frater Gildonis Afri, ad recuperandam Africam, quam contempta ætate Imperatoris, & necatis fratris ſui filijs Gildo occuparat, Imperator ſomniauit, Diuum Ambroſium, Epiſcopum Mediolanenſem, iamdudum mortuum ſolum ter pede ferire, & dicere, Hic & quidem hoc in loco, demonſtrareque locum victoriæ. Poſtera die labore & difficultate non magna hoſtem ſtrauit Muſceles, (nam & hac forma nomen invenitur) ad Tabracum, eſtque Gildoni è fuga retracto gula velo fracta. *Honorius.*

Quo tempore bella gerebant Angeli contra Aubonem & Aguerum duces Cimbrorum, qui populi nunc Hoſatiam, tractusque his vicinos incolunt, animi magnitudine & robore eximij, dormiens Alfredus Magnus rex Anglorum, vidit Gutbertum Epiſcopum Anglicum coram aſtantem, qui dudum mortuus fuerat, à quo admonebatur, Magno ut animo eſſet, compotem enim futurum victoriæ: & ne dubitaret ſignum addidit, Allaturos piſcatores etiam glacie conſtrictis aquis, non paruam piſcium copiam. Vix ſomno pulſo, piſces afferuntur, Idem ſomnium mater regis habuit. Quare animis conceptis & confirmatis, et in hoſtes irruptione facta, eos partim cecidit, partim cepit: qui iugo Chriſti ſubigi, & ſacris baptiſmi noſtræ religioni initiari non renuebant, ad baptiſmum admiſit: contumaciter peruicaces inſula expulit. Factum id ſcribunt anno XVII. Ludouici II. Imperatoris. *Alfredus. Fundator Academiæ Oxouienſis. Alfredi mater.*

Eliæ Prophetæ pater Sobachus, cum mater puerum ederet, in ſomnis conſpexit viros niueis veſtibus indutos, qui puerum recens natũ ſalutarent, & à matris vberibus auulſo, flammas cibi loco miniſtrarent. Deſignauit hoc Spiritum diuinum, animos intrepidos, Zelum pro nominis diuini gloria inuictum. *Ortus hominum illuſtrium. Sobachus.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Paridis mater Hecuba, Priami regis Troianorum coniunx, cum eſſet grauida, facem ſe parere ardentem in ſomnis credidit, qua vniuerſa Ida, & tota Phrygia conflagraret, & continuò ſerpente flamma delubra diûum cremarentur: & in cineres collaberetur ciuitas: ſtantibus & ſaluis Antenoris & Aeneæ domibus. Verè facem peperit Aſiæ atq; Europæ fatalem, & Troiæ exitioſam, Paridem adulterum, cuius cauſa Europæq; atq; Aſiæ totus concurreret orbis. Nec profuit ad auertendum exitium, libidine ſpontè attractum, expoſitio, qua in Ida monte à paſtoribus fuit educatus. Qua de re Tryphiodorus de Ilij excidio ἀίδι πυ ἤδη,

*Hecuba.*

τίκτουσιν μογερῆς ἑκάβης ὠδῖνες ὀνείρων. Plura Dictys Cretens. lib. 3. Euryp. in Andromacha. Seruata eſt autem in excidio Ilij domus Antenoris & Aeneæ, ut eſſet proditionis præmium.

*Mater Phalridis.*

Phalaridis mater Mercurium colebat (habebant enim veteres præter deos patrios & publicos, ſuum quiſq; tutelarem & domeſticum) tenebat is manu Phialam: viſus eſt autem illi cruorem liuidum ex patera effundere, qui motu incaleſcens cum ebulliret, totam domum uſq; ad ſummum faſtigium impleret. Nobilitatus fuit immani tyrannide, & ab omnibus ferè hiſtoricis & poëtis decantatus.

*Olympias.*

Qua uocte cum Philippo Amyntæ F. primum concubuit Olympias, Ioue tonante ventrem ſuum de cœlo tangi, & fulmen facto tonitru viſceribus ſuis inſinuari ſomniauit, eq; ictu copioſum ignem incenſum emicuiſſe, qui mox in flammas hinc inde ſparſas diſsiparetur. Futurus erat illuſtris Alexander, & ad extimas longiſsimèq; diſsitas orbis terrarum partes penetraturus: Sed à morte eſt eius imperium inter duces præcipuos diſtributum, & fœdiſsimè diſsipatum.

Refertur & alterum ſomnium ad Alexandri potentiam, & pugnandi ferociam, Ariſtandro vate & coniectore, de ſigillo, cui fuerit inſculpta imago leonis, quocꝫ obſignarat aluum coniugis Philippus. *Philippus Macedo.*

Hæc refero, non affirmo: non ignarus, ſenſum poſſe elici obſcænum, & uſitatum fuiſſe, vt ſiqua parum eſſet pudica, & ex alio furtim grauida, à Deo ſe concepiſſe iactitaret, ne partus probro eſſet liberis. Scribunt de eadem olympiade, cum Alexandrum conciperet, viſam eam ſibi per quietem volutari cum ſerpente: quod aliud prodigium confirmauit, nam quo natus eſt die Alexander, duæ aquilæ toto die ſupra culmen domus paternæ ſederunt. Ex illo itacꝫ ſomnio non Philippi filius haberi voluit, ſed Iouis Ammonis. Idem fere habent de Auguſto Cæſare, & P. Cornelio Scipione, Dion & Gellius. *Olympias.*

Agariſtia è familia Alcmæonidarum nupta Xantippo Ariphronis filio, genere quidem claro, ſed rebus tamen geſtis obſcuro, & ignobili, cum prægnans eſſet, leonem ſe parere imaginata eſt. Poſt paucos dies Xantippo Periclem edidit, ſummum illum Oratorem, qui tonare ac fulgurare, horribilecꝫ fulmen in ore ferre creditus eſt, ſeu (vt Valerius) in lingua melle dulciorem habere ſermonem, incꝫ animis auditorum relinquere aculeos. Etiam præuiſi ſunt euentus Calamitoſi, & ortus funeſti. *Agariſtia.*

Mater Dioniſij, cum fœtum vtero ferret, prægnans ſatyriſcum parere eſt ſibi viſa: Conſulto prodigiorum interprete clariſsimum ac potentiſsimum Graij ſanguinis futurum, certo cum euentu cognouit. *Mater Dionyſij.*

Seleuci mater Laodice, Antiocho duci Philippi nupta viſa ſibi per quietem eſt ex congreſſu Appollinis concepiſſe, & cum grauida facta eſſet, concubitus præmium à DEo pe- *Laodice.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tijſſe, in cuius gemma anchora eſſet ſculpta: Iuſſa, quem peperiſſet, id donum dari filio, admirabile viſum fecit, & annulus poſtera die, eiuſdem ſculpturæ in lectulo inuentus eſt, figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata, in puero durauit. Annulum mater Seleuco eunti ad militiam Perſicam cum Alexandro, dedit, qui orientis regnum occupauit, & Antiochiam à patris nomine appellauit, campoſq; vrbi vicinos Apollini, ex quo natus credebatur, dicauit. Eius filij & nepotes anchoram in femore, notam gentis naturalem, retinuerunt. De hoc quiſq;, quid voluerit, ſentiat.

*Maia.* Maia Virgilij mater, principis Poëtarũ, ea nocte, quæ partũ proximè anteceſsit, viſa ſibi eſt parere ramum lauri, qui terræ infixus, ſubito in ſpeciem arboris proceræ eximiam excreuerit, folijs conſpicuam, floribus iucundam, qui inſtar radiorum ſolarium lucerent, fructibusq; varij generis onuſtam. factum id eſt Idibus *VIIIb.* Craſſo & Pompeio coſſ. Illo die enixa Maia eſt in foſſa Virgilium, quo loco in perpetuum rei monumentum, pater virgam populeam telluri infixit, quæ immenſam altitudinem conſecuta, olim Herculi ſacra, ab accolis Virgilio conſecrata fuit. Quantus autem Virgilius fuerit, nemo niſi literarum rudis neſcit. Nam

*Pondera ſeu rerum ſpectes, ſeu verba, Maroni*
*Nulla tulere parem ſecula, nulla ferent.*

*Actia.* De Auguſto Suetonius: Ad Actiam in ſacris Apollinis noctu draco dormientem irrepſiſſe ferunt, pauloq; poſt egreſſum: expergefactam purificaſſe ſe, & in corpere maculam veluti depicti draconis non elutam: Auguſtus natus menſe decimo, filius Apollinis habitus eſt. Eadem ſub ipſum *Eadem.*

tempus

tempus enixus viſcera ſua ferri ad ſidera vſq; ſomniauit, explicariq; per omnem terræ & cœli ambitum.

M. Actius Balbus pater Actiæ ex vtero filiæ iubar ſolis exoriri putauit dormiens. Significationes fuerunt nominis, potentiæ, & dignitatum Augusti. *M. Actius.*

Iuſto, qui Picenis ius dicebat tempore Conſtantij, cum è dextro ſuo femore purpuram imperialem gignere ſe ſomniaret, hoc viſo ad Conſtantium delato, illata nex eſt, metu naſcituri ex eo qui regnum ambiret. Nata eſt ex ipſo Iuſtina, & relicta Orphana, conciliataq; Seueræ Valentiniani Imp. coniugi, à venuſtatis admirandæ gratia: quæ, puellâ familiarius vſa, ſæpiuſq; inter lauandum, è mira pulchritudine verſa in ſtuporem, ſe quoq; cum ſit mulier, tamen pulchritudinis ſpecie plus, quàm credi poſsit, venuſta & liberali incenſam faſſa eſt. Imperat. vt non ex aſpectu tantum, ſed è verbis etiã non raro naſcitur amor, amoris flammas ſentiens, hanc præter Seueram vxorem duxit, lata lege, qua cuiuis viro fas eſſet duas vxores ducere. *Iuſtus Patritius.*

Iuliana mater Baſilina fæmina nobiliſsima, cum eſſet grauida, ſomniauit ſe parituram Achillem: excitata ſomnium marito recenſuit, & quia facilis erat partus, ſiquidem enixa infantem eſt, antequam tempus pariendi ſentiret, in bonam ſpem de ſitio excitati parentes fuerunt. Et fuit quidem forma liberali, ingenio ad artes & Eloquentiæ ſtudia apto, indole præclara, animo forti: Sed peruerſa inſtitutione & educatione improba, qualis euaſerit eſt notiſs. Bernhardi Clareuallenſis mater, catulum latrantem in vtero ſe ferre in ſomnis putauit. *Iuliani Mater.* *Bernhardi Mater.*

Edginda puella plebeia, Anglica, ex vtero ſuo Lunam egreſſam ſomniauit, cùm virgo adhuc eſſet, qua tota inſula illuſtra- *Alteſtani Mater.*

illuſtraretur: in Eduardi Felicis, Alfredi filij, thorum deducta filiam edidit Elginam: Caroli Simplicis regis Francorum vxorem: Blancham, Ludouico 4. regi Franciæ traditam: Filios verò Adelſtanum, regum duorum patrem, qui Ludouicum Franciæ regem in regnum reſtituit, expulſum à Rodolpho Burgundo, & Edmundum, patrem Edithæ, ſocerũ Othonis 1. Saxonis, Roman. Imper.

*Altreda.* Altreda, Guilhelmi 1. Auſteri mater ex Roberto marito, Normanorum ducis, noctu partum præcedente, ſua viſcera per vtrunq; regnum & ducatum diſſeminari putauit inter dormiendum. Guilhelmus præter paternum ducatum regnũ quoq; Britanicum acquiſiuit, acceptum ab Ezelredo auunculo, & armis partum anno x. Henrici 3. Imperatoris.

*Victoria.* Pij 2. cui pater Syluius, Aeneæ Syluij nomen fecit, ea fortè de cauſa, quòd à plebe Senenſi vnà cum reliqua nobilitate è repub. eiectus ad fundum gentilitium Corſinianum vallis Vrciæ oppidum ſe contuliſſet, matri Victoriæ puerperæ in ſomnis obuerſatus eſt infans, quem pareret, mitra conſpicuus. Inde verita ignominiam familiæ, non acquieuit antè animo, quàm factum Epiſcopum Tergeſtanum audiret: tum demum metu liberata fuit: Factus eſt pòſt Epiſcopus Piſanus, tandem mortuo Calliſto pontifex Maximus ſub imperatore Friderico 3. *Georgius Caſtriotus.* Georgius Caſtriotus cuius maiores latè regnarunt in Macedonia, Scanderbegus à Turcis nominatus propter liberalitatem & fortitudinem, ſiquidem ſcander eſt lingua Turcica Alexander, vnde hodie eam, quæ olim fuit Alexandria, Scanderiam vocant, præter formam enſis, qua dextrum brachium habuit inſignitum, eius mater ex Iohanne Principe Epiri grauida, ſomniauit, ſe ſerpentem ingentis magnitudinis parere, qui Imperatorem Turcicum magno agmine & impetu inuadens, interimeret, & cauda

vniuer-

vniuerſum Aegyptum tectam inuolueret. Atq; ita quidem accidit. Nam obſes à patre vnâ cum alijs duobus, ipſe natu minimus, Amurathi, Græciam totam vaſtante datus, patris regnum per literas adulterinas recuperat, ſeptem Othomanorum Satrapas ſuperat, Amurathem ipſum maximis cladib. afficit, Croiam, quam patri ipſius Amurathes ademerat, defendit: Boſnenſibus Raſcijs & his finitimis populis opem fert, Deſpotaſq; illis ab Amurathe expulſos reſtituit: & eundem, pedes referentem, cum Adriam uſq; obuia quæq; ferro & igni populatus eſſet, eò adigit, vt ex animi mærore pauló pòſt moreretur. anno M.C.L. obijt ipſe anno ætatis ſexage- *Anno Chriſti 1466.*
ſimo tertio, Climacterico heroico. *17 Ianua.*

Mater Mathiæ Coruini Vngariæ Regis ſomniauit de Coruo, qui annulum ipſi prægnanti inter volandum in ſinũ *Mathias.* demiſerit, quem poſtea Coruinus vnà cum nomine in inſignibus & nummis aureis oſtentauit: quanquam ſunt, qui in memoriam Corui â Mathia ſagitta transfixi, id factum ſcribunt: cum annulum, cui inſerta fuerat gemma magni precij, Smaragdus, depoſitum volucris abſtuliſſet. Deinde eadem parere ſibi viſa eſt puerũ, ad cuius labia lactis riuuli hinc inde *Eadem.* fluerent: Vnde puero ſatis regnum deſtinari coniecit, & præter facundiam, amorem literarum & ſcientiæ: Excelluit autem in vtroq;.

Henicus Ranzouius aliquoties reginam, & fratris Pauli coniugem factas puerperas in ſomnis vidit ita etiam accidit.

Ea nocte, quæ diem Gregorij ſecuta fuit, qui incidit in XII Martij, viſus quidam ſibi eſt Anno 85. audire famam de recens nato illuſtris Principis ducis Saxoniæ Chriſtiani filio, Auguſti Electoris nepote, ſed, vt videbatur, tum mortuo, & videre per feneſtram vitream diſcurſantes pullatos aulicos.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Mane natum Principem, narratur, de quo antea fama percrebuerat, & vota atq; ſupplicationes fieri iubentur. Natus eſt autem 6 Martij, baptiſatus 16 eiusdem menſis, factumq; nomen ab auo materno Georgius Fridericus. Memini eundem narrare, ſomniaſſe ſe Anno 1566. die XVII. ſeptem. hora quinta matutina fulgure Cometam colore igneo, latiore quidem cauda, ſed minus longa, è regione domus conſiſtentem, & cænobio incumbentem: eo ipſo momento auditus eſt ignis fragor, ſcintillis in arida ligna coniectis, quæ flamma ſeſe attollens, tædæq; plurimum, & pinguiſsimæ inuadens, heri accurrentis diligentia eſt reſtincta. Somnio diſcedente, nimis verum fuiſſe ſomninm eſt cognitum.

*Andromacha.* Andromacham in Troadibus Senecæ, ad fugam hortatur Hector, vt filij à Græcis occidendi ſaluti conſulat, & ſimilis farinæ eſt Aeneæ 2. Aeneid.

*Crœſus.* Crœſus dormiens Atym filium, cum agilitate & pernicitate, olim in heroibus laudatiſsima, tum cæteris corporis dotibus præſtantiſsmum, & regni ſucceſsioni deſtinatum, nam alter filius mutus erat, ferea cuſpide traiectum ſibi eripi putauit. Territus ſomnio filio dat vxorem, Lydiorum gubernationi tum præfecto, vt nec bellis intereſſet, nec armatos cuſtodes ad ſe propius accedere permitteret, omnisq; generis tela ex armamentario amouerentur, ne quid ſuſpenſum deſuper in regni hæredem decideret. Sed eſt Atijs ab Adraſto exule, cuius cuſtodiæ commiſſus fuerat, in venatione Apri, Myſorum, opem poſtulantium, opera & ſata vaſtantis ad Olympum montem, iaculum incautius in aprum vibrante, ictu autẽ, qui aprum petebat ab errante ex imprudentia fato interfectus.

*Cambyſes.* Herod. lib. 3. Smerde in Perſidem profecto, ſomnium Cambyſes habuit, de nuncio, qui è Perſide trepidè veniens nunciaret, Smerdim occupatio ſolio regio, cælum ferire ver-

tice

tice. Sibi itaq; ſuoq; regno metuens Cambyſes ex Aegypto, in qua bellum gerebat, in Perſas, vbi tum erat Prexaſpes, propere mittit, curaret necandum. Necatus itaq; eſt Smerdis, vel venatum ductus animi cauſa, inſidioſeq; exceptus, vel in mari rubro ſubmerſus: cuius mortem inultam cum fleret Atoſſa ſoror, eademq; coniunx Cambyſis, ab eo Cambyſe fratre et marito ſuo fuit interempta. Faſſus eſt iam moriturus ſe deceptum, Smerdim enim magum fuiſſe, non fratrem qui regnum affectaſſet.

Pindaro dormienti Perſephone quæſta eſt ſui ſolius laudis ab eo non eſſe decantatas, iri autem tum decantatum, cũ ad eam acceſsiſſet. Nondum abierant dies decem, cum naturæ debita ſoluens mortuus eſt. *Pindarus.*

Videns Cimon ciues ſuos in ſua viſcera ſæuituros, bellis inteſtinis, niſi eſſet foris hoſtis externns, aut certe imbelles futuros: ne igitur vel in ſuos ferrum ſtringerent, vel effæminarentur, ad eos exercendos inuadere Aegyptum & Cyprum ſtatuit: iam autem in naues faciens deſcenſionem, in quiete ſibi allatrati viſus eſt à cane exacerbata, atq; ex latratu vocem edi humanam: I, mihi nam catuliſq; meis redderis amicus. Canis eius, quem allatrat, hoſtis eſt: hoſti nemo amicus eſt, niſi defuncto: Itaq; Aſtyphilus Poſidoniates interpretatus eſt, Vocis caninæ et humanæ commiſtione Medum ſignificari, cuius ex Græcis & barbaris conſtabat exercitus. Perijt autem Cimon morbo correptus, cum Citium vrbem obſidere eſſet aggreſſus. *Cimon.*

Alcibiades eo pallio quo in Timandræ, amicæ ſuæ, è qua Laidem illam, nobilem ex hiſtoria Demoſthenis, & prouerbiali verſu, Non cuius homini contingit adire Corinthum ſuſcepit, ſinu dormiens, opertum ſe viderat, in ſepultus à cæ- *Alcibiades.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

de iacens, contectus fuit, Critiæ Tyranni technis, Lyſandri proditionibus, Pharnabazi regis Perſarum parricidio: probus.

Phayllus dux Phocenſium Onomarchi frater, qui à Philippo Macedone victus & ſtrangulatus fuerat, inter dormiendum imaginatus eſt, ſe fieri ſimilem effigiei æreæ, cuius nihil præter oſſa eſt reliquum, carne conſumpta, quam Delphis dedicauerat Hippocrates: haud ita diu poſt σκελετῷ ſimilis tabe perijt, orta ex ægritudine animi, cum tribus prælijs victus eſſet à barbaris anno mundi 3613. Regnante Ocho Perſa.

*Diogenes.*

Diogenes Nauclerus nauis faciem, quæ prora eſt, viſus ſibi eſt perdidiſſe, non ita diu pòſt proretam morte amiſit. Contra Mileſius quidam proretam efferens inter dormiendum, proram perdidit. Artemidor.

*Duo Arcades.*

De Duobus Arcadibus 1. De Diuinat. Cicero, & repetit eandem hiſtoriam Valerius Maximus: qui iter vnà facientes Megaram, alter in tabernam meritoriam diuertens, alterum, qui ad hoſpitem & familiarem diuerterat, orauit, vt ſibi cauponis ſcelere periclitanti ſubueniret: poſſe enim celeri eius accurſu ſe imminenti periculo ſubtrahi. Expergiſcitur quidem, ſed peſtifero fato ſubueniendi amico propoſitum mutat, ſomnumque repetit. Tunc idem obſecrauit, vt qui uiuenti non ſubueniſſet, mortem inultam ne pateretur: corpus ſuum à caupone plauſtro efferri, ad portam, ſtercore coopertum. Non eſſe ratus ſomnium irritum ad portam accurrit, plauſtrum deprehendit: caupo ad ſupplicium rapitur.

*Apollodorus.*

## De Apollodori ſomnio Poëta quidam recentior.

*Tyrannidis Autor,*

Fingit

*Fingit Appollidorus ſibi ſomnia, dira relatu,*
*Toto vnum credens ſe corpore vulnus habere.*
*Viſceraq́; & fibras direpta pelle patere*
*Cumq́; reciſſet ſecta à cute corpus, ahenis*
*Exultare dehinc domitos feruoribus artus,*
*Cor verò iſta loqui: Sum pœnæ ego cauſa, caputq́;.*

Caſſandrenſium tyrannus Apollodorus, omnium crudeliſsimus, quotquot vel apud Græcos, vel apud Barbaros, immanitate famam ſunt conſecuti, omnes aduerſarios ſuos perfidè clam è medio ſuſtulit, & hac aſſentatione auram popularem captauit: ſimulationibus plebem, milites, ſeruos, operas decepit: Callimeli occiſi viſcera cocta ſuis coniuratis epulanda appoſuit, quibus ſanguinem, vino epulis permiſcendo atrum efficientibus, corpus oſtendit ſceleris ſe ſocium ſignificans, fidemq́; coniurationis firmauit.

Ferunt Syllam cum in agro eſſet dæmonem per ſomnium vidiſſe, & ſe vocari ab eo putaſſe. Quo viſo manè amicis recitato, teſtamentum celerrimè ſcripſit, & nocte inſequente, hoc obſignato febri correptus è vita exijt anno ætatis ſexageſimo. *Sylla. Appia. 1. de B. C. K.*

C. Iulio Cæſare occiſo, Cinna quidam amicus Cæſaris in ſomnis credidit ſe ab illo ad cænam inuitari, & obteſtando rogari, ne recuſaret: manu tandem invitum trahi, & ſummo conatu reluctantem, duciq́; in locum vaſtum & obſcurum, non abſq́; metu. Veniens in forum, cum corpus Cæſaris cremaretur, ne ſupremum officium amico præſtandum, à ſe deſiderari pateretur, etſi & viſione nocturna deterreretur, & febri detineretur, à populo furioſo, errore nominis, erat *Cinna.*

enim alius Cinna inter coniuratores, qui Cæſarem in concione conuitijs proſciderat, in foro eſt dilaceratus.

*Arterius Ruffus.* Arterius Ruffus Eques Romanus gladiatorium munus edens Syracuſis retiarij manu ſe confodi putauit. Fatum ineuitabile. A retiario, qui propè ipſum mirmillonem inſtando compulerat, & iacentem ferire conabatur, traiectus gladio occubuit.

*Glaphyra.* Recenſet Hegeſippus 2. c. 3. Somnium Glaphyræ, cui & probroſæ nuptiæ libidinoſæq; obijciuntur, & mors ibidine digna denunciatur. Erat ea filia Archelai regis Cappadocum: Vxor primum Alexandri filia Herodis Magni è Marianne: Hinc cum dote remiſſa eſt, Alexandro marito à patre interempto: nupſitq; Iubæ II. Regi Numidiæ: & hoc quoq; defuncto, vt crimen crimine augeret, Archelao nubit, fratri Alexandri, primi mariti. Paulò poſt has nuptias poſtremas & incæſtuoſas, quieſcenti aſtitit Alexander, qui eius fuerat amore inflammatas, cum Roma reuertens iter faceret per Cappadociam, eiq; libidinem & impium concubitum exprobrauit. Satis tibi fuiſſet coniugium Numidicum: at tu nulla Venere ſatiata, ad meos penates redis, &, quo nihil fieri poteſt fœdius, fratris mei viri tertij nuptias appetiuiſti. Hanc contumeliam non ſinam inultam, teq; inuitam etiam & repugnantem recipiam. Biduo elapſo mortua virum eſt ſecuta.

*Iulius.* Illa nocte, quæ proximè diem cædis præceſsit, ſomniauit Iulius, ſupra nubes ſe interdum volitare, nunc cum Iouæ dextras iungere, modò iuxta ſolium Iouis conſiſtere, mox de cœlo præcipitem dari: Cæſus eſt Idibus Martij anno V. C. 710: vt etiam Spurina ipſi prædixerat.

Calpurniæ Iulij Cæſaris coniugi mariti cædem denunciauit ſomnium, cui viſum eſt faſtigium, quod ædibus Cæſaris

erat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

erat adiunctum ornamenti cauſa, collabi: quam ob rem flebili voce lamentata eſt, præſaga mali imminentis.

Tiberius Imperator Apollinem Temenitem, & amplitudinis & artis eximiæ opus aduectum Syracuſis, vt in bibliotheca noui templi collocaretur, viderat affirmantem, Non poſſe ſe ab ipſo dedicari: Fuit hic natalis, quo id euenit, Tiberio in terris ſupremus. *Tiberius Imper.*

C. Cæſar Caligula idem ſomnium habuit cum Iulio Cæſare, pridie quàm in palatio cæſus eſt, ſe proximum Ioui, huius dextri pedis pollice impulſum, in terras præcipitari. Caligula tranſiens per pueros, qui ad edēdas in Scæna operas præparabantur, ſignum more militari poſtulatus, cum Iouem dediſſet, eſt à coniuratis occiſus, Non. Cal. Febru. *C. Cæſar Caligula.*

Occiſa matre, Neroni nauium regenti inter dormiendum, extortum eſt gubernaculum, trahiq; ſe imaginatus eſt ab Octauia ſorore in arctiſsimas tenebras. Et modo alatarum formicarum formidine oppleri, modo à ſimulachris gentium ad Pompeij curiam dedicatarum prohiberi, arceriq; progreſſu. *Nero.*

Polycarpo Iohannis Apoſtoli diſcipulo & auditori Smirnæ Epiſcopo præceptori Irenæi dormiēti puluinar comburi viſum eſt. Vnde ſibimetipſi vates fuit, ſe martyrio ignis cōronandum. Coronam autem meruit, ſupplicium paſſus Smyrnæ perſecutione quarta anno Chriſti 161. Sub M. Antonio philoſopho.

Conſtantio Imperatori, veneno ſectæ Arianæ infecto, mors prædicta eſt his verſibus. *Conſtantius Imper.*

Ζεὺς ὅταμ εἰς πλατὺ τέρμα μόλῃ κλυτοῦ ὑδροχόοιο
Παρθενικῆς δὲ κρόνος μοίρης βαίνῃ ἐπὶ πέμπτης
εἰκοστῆς, βασιλεὺς κωνσάντιος Ἀσίδος ἄιης
τέρμα φίλου βιότου συγερὸμ καὶ ἐπήδωνομ ἕξει.

Quos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Quos ita conuertit Ioachimus Camerarius.

*Iupiter anguſtos vbi fines intrat Aquarij*
*Virgineoq́ ſinu viceſima quinta recepit*
*Portio Falciferum, Conſtantius Induperator*
*Regnum Aſiæ triſti ſuperatus morte relinquit.*

*Hoc oracu ... i à ſe dor ... niẽte audi ... tũ gloriat9 ... Iulian9 ... poſtata.*

Id incidere in anni Aegyptiaci 1108 à Naboanaſſaro menſem Athyr finitum, qui fuerit annus Christi 360, menſis Nouembris xx, docuiſſe idem ſcribit Iohannem Homelium, Geometram & Aſtronomum excellentiſsimum.

*[C]onſtans ... [Imp]er prudẽs*

Conſtans Imperator ſomniauit ſe eſſe Theſſalonicæ, cum in Siciliam nauigaret, Id interpres accipiendum dixit θὲς ἄλλω νίκην. Non interceſsit longum tempus, cum à Saracenis magna clade fugatus Byzantium, vili veſte vix euaſit, & in balneis à ſatellite ſuo, autore Mazeſe, ſitula necatus fuit, vaſe quo aqua calida hauritur.

*Genſerich*

Genſerichus Rex Vandalorum, à tribus iudicibus dum dormiret compulſus eſt, flagellum, quod manu gerebat, deponere. Poſt dies paucos eſt mortuus, id quod Nolanus antiſtes prædixerat.

*Martian9*

Martiano, qui Attilæ temporibus, poſt Theodoſium Iuniorem Auguſtum Byzantij, quæ à Conſtantino Magno ædificijs ornata, ab ipſo nomen accepit, Imperauit, arcus Attilæ Gothorum regis fractus dormienti ſe obtulit ea nocte, qua in Pannonia ſubito: Attilas eſt apoplexia extinctus, cum animam ebriam in nuptijs euomuiſſet, ſuffocatus cum noua ſponſa in cubiculo.

*Hiſt. Eccl. 3. c. 16. Mauricij Imper.*

Mauricius Imperator cum auaricia occæcatus coëgiſſet milites prædis actis è Sclauorum terris trans Danubium, alimenta quærere, & ſuos à barbaris captos nollet redimere, in

ſingulos

ſingulos conſtituto lytro vnius nummi, omnibus miſerè trucidatis, ab occiſis in ſomno accuſatus eſt ante imaginem Chriſti de cruce ſuſpenſi, & à Chriſto vocatus, interrogatusq́ num in hac vita mallet pœnam luere, an verò in altera, tum pœnam, optione accepta, elegiſſet temporalem, Phocæ ſe tradendum, & cum tota familia occidendum audit, lata huiusmodi ſententia: Tradite hunc qui ſummi eſt generis, in manus Phocæ militis. Manè à ſomno excitatus, Philippico genero, quem de regno ambitio ſuſpectum habuerat, rem aperit, & veniam iniuſtæ ſuſpicionis petit, Qui ſit Phocas, inquirit: Audito, hominem eſſe timidum, præfectum antè fiſco militari, ætate iuuenem, animo audacter temerarium & iniurioſum, Mauricius ſubiecit, πᾶν τὸ φοβερὸν τυραννικόν. Mauricius cæſus in porta Eutropij, vidit in conſpectu ſuo trucidari vxorem, filios, agnatos à Phoca, & Rectum Dei iudicium, DEVMq́ iuſtum prædicans, animo patienti mortem tulit.

Faciens iter vnà cum patre ſuo Iohanne rege Boiemiæ Carolus IIII. Imp. in Italiam, cum in diœceſi Parmenſi in villa Tarentur, quæ alias eſt Tarunſo, Aeneæ Syluio, Villa Terentij, Die Dominica, qua feſtum Aſſumtionis Mariæ celebratur, ſopitus eſſet pridie eius diei qua mouebant, angelum Domini conſpexit ad ſiniſtram, qui percuſſum iuberet ſurgere, & ſequi. Reſpondit Carolus nec quo, nec quomodo, ſe ſcire. Apprehenſum ſe verò capillis ſcribit ab angelo, & per a rem vectum, ſub pedibusq́ vidiſſe agmen ingens militum ante caſtrum ad conflictum paratorum: Tum angelus reſpice & vide. Hoc ipſo dicente, angelus alius de cœlo deſcendens, igneo gladio, quem manu gerebat, vni militum in acie collocatorum, iuueni forma conſpicuo, et veſtibus exuto atq́ equo inſidenti, genitalia abſcidit. Carolus ex alio ado- *Carolus 4.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

leſcente qui ſpecie ſupra humanum venerabili aſtabat, quærit quis eſſet, & quæ cauſa ſupplicij tam atrocis & diri. Is tenens occipitis capillos, Agnoſcis, inquit, percuſſum, & lethaliter vulneratum ab angelo. Cui Carolus, Neſcio Domine, nec vbi locorum ſim ſcio. Scies, inquit, angelus. Delphinus eſt Viennenſis luitq; pœnam luxuriæ: Hac enim pœna digni ſunt, omnes, quicunq; alienos thoros temerare ſuſtinent. Vos itaq; huius exemplo cautiores reddamini, ne grauioribus pœnis inuoluti pereatis: Dolens autem Carolus vicem Delphini Guidonis, erant enim duarum ſororum nepotes, natusq; Delphinus è ſorore Caroli I. Regis Vngariæ, quæſiuit ex Angelo, poſſet ne confiteri ante mortem: Victurum aliquot dies, angelus reſpondit. Pôſt in parte aciei ſiniſtra viri ſtabant pallijs candidis amicti, præ ſe ferentes dignitatis & ſanctimoniæ exiſtimationem, multa inter ſe collocuti, de ijs, quæ geſta fuerant Nec tamen auſus eſt Carolus curioſius rogare qui eſſent, nec angelus retulit. Reſtitui verò ſibi mox in eum, vnde venerat, locum viſus eſt, aurora exoriente: quo tempore Camerarius Iohannis regis Thomas de Noua villa ex diœcæſi Epiſcopatus Leodienſis, Quin ſurgis Domine: iam pater equos aſcendit: Surgens Carolus, quo, inquit, ibimus, cum, quid ſit agendum, ſimus planè dubij, ex nocturnorum ſomniorum viſis? & interroganti, Delphinus, inquit, mortuus eſt, ſatius eſt manere domi, & exercitum non fatigare, quâm auxilio venire Delphino, qui hoc bello contra Amedeum, Amedei, M. filium, comitem Sabaudiæ, noſtro conſilio & ope non indiget, eſt enim mortuus: Riſit Camerarius ſomnium, idemq; vbi Parmam veniens Iohanni regi retuliſſet, & aſſereret Carolus, Delphinum mortuum, obiurgatus fuit à patre, ne crederet ſomnijs. Non autem expoſuerat ſomnium integrè. Elapſis

dicbus

diebus non multis, Delphinum in obſidione caſtri cuiuſdam ditionis Sabaudiæ ſagitta vulneratum, pauloq; poſt vita exceſsiſſe literæ ſignificauerunt. Tum Pater Caroli: Non poſſum non mirari, quid, hanc mortem filius nobis prædixerit.

Commemorantur plurima his ſimilia in theatro vitæ humanæ, de Martyribus duobus Bacho & Sergio, quorum cùm Bacchus primum exhalaret animam per cruciatus acerbiſsimos, Sergio ſe relictum conquerenti in ſomnis apparuit, ore & vultu lætiſsimo, caput luce coruſcans, & gemmea corona inſignis, conſolatusq; eſt Sergium, breui eandem, quã ipſe, coronam martyrij geſturum. *Sergius.*

De Felice auo Thraſyllæ Aemilianæ, qui hac defuncta mortis diem ſororibus cæteris prædixit. *Felix.*

Agnes Henrici Illuſtris Marchionis Miſniæ coniunx, Othonis regis Boiemiæ filia, poculo in ſomnis bibit aureo, ab angelo propinato, cum periculoſo morbo conflictaretur. Quod cum de manu eius accepiſſet, Heu quàm amara, inquit, potio: Cui Angelus amara quidem certè, ſed ingens dulcedo mox conſequetur. Quia mitigabit illam amariciem Domiuus. Hoc ſomnium poſtq; Principi ſuo retuliſſet, paulò pôſt obijt in cœnobio Veterocellenſi ad Muldam ſepulta. *Agnes Marchia Miſniæ.*

De Malpaga, Galeatij Sfortiæ, qui peridie quàm hic periret, vidit vulneribus confoſſum, eodem, quo pater loculo & monumento componi. *Malpaga.*

De Magno Sfortia, qui profundi fluminis vortice laborans, poſtridie in traiectu Aterni amnis in mare Adriaticum influentis vndis ſuffocatus eſt. *Magnus Sfortia.*

De Ambroſio Grimaldo Genuenſi, qui ab angue, flammas euomente, dormiens morſus, in oppugnatione Chij, bombardæ globo ictus perijt. *Ambroſius Grimaldus.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*M. Antonius Taurel9*

De M. Antonio Taurello Guaſtallæ Comitæ, qui ſibi viſus mergi, ſubmerſione in lacu vitæ finem invenit.

*Vuilhelmus Niſenus.*

Vuilhelmus Niſenus vir doctus, in Albi perijt Vuiteberga fluuium traiecens lintre piſcatoria: quod de more animi recreandi gratia ſæpè facere conſueuerat, æſtiuo tempore: impegit enim linter in truncum ſub aquis latentem, eaq; nutante in latus, præceps in amnem decidit. Præuidit hoc per quietem cum eo die poſt prandium paululum ſopitus, vt poſtea accidit, lintrem intuitus eſt offendentem, & fluctuantẽ, ſeq; in fluuium prolabentem. Ac narrans amicis ſomnium, iocoſè ſomniorum vanitatem eluſit. Sed heu nimium vates verus fuit. Acceſsit ſomnio prodigium: nam Philippus Melanthon, non εὐθυόνειρος tantum naturâ, ſed planè στοχαστικός, in itinere, quo anno XXIII. patriam reuiſit Brettam in Palatinatu, trium coruorum in colle quodam, ore & alis, ſonos geſtusq; ſingulares edentium & quaſi tripudia facientium Niſeno eidem comiti ſuo, augurium admirãti, & interrogãti ipſum, quid portendi iudicaret, vni ex tribus, ſibi aut Camerario, aut Niſeno mortem propinquam ſignificari reſpondit.

*Hieronymi Vuelleri filia.*

Anno 1544. Hieronymi Vvelleri, Theologi filia annorũ quinq; iam animam agens, ita tamen ne quid de ſanitate ſua mens recederet, ſponſam vidit in prato amœniſsimo, & florum pulchritudine ornatiſsimo, ſtãtem iuxta regem, formaq; inſignem, & ornatu rege digno, comitantibus illã, quacunq; ſe ferret, puellis, veſte candida indutis. Tum illa matrem rogare, vt ſe quoq; veſte candida indueret, quo digna nuptijs illis magnificis ſponſum accederet. Hoc ſomnium vt è cogitationibus diurnis ortum, non nego, ita etiam præſagiens eſt. Nam pia mens rectè inſtituta, & à Spiritu ſancto edocta atq; confirmata, Chriſtum ſuum ſponſum agnoſcit, Pſal. 45: qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

45. qui fœdere ſibi ſalis, hoc eſt æterno & inſolubili copulat Eccleſiam, eiusq; membra, ornata fide, & ſequentia agnum, quacunq; incedit, vt eſt in Apocalypſi: abluta ſanguine agni immaculati. Hanc ſponſam, quæ eſt Eccleſia, Chriſto ſponſo addictam, qui ſequitur, dignus habetur, vt nuptiarum ſolennitati interſit. Deinde cum mens humana in ijs, quæ rationi ſubiecta ſunt, nonnunquam futura præſagiat: id non multo magis faciat Spiritus ſanctus, in ijs qui à rebus mundanis ad cœleſtes, animum atq; cogitationes auocant.

M. Sebaſtiani Froſchelij Diaconi Eccleſiæ Vuitebergenſis, vxor, cum ſuam tum Eraſmi Salueldenſis coniugis mortẽ in ſomno vidit, longius menſe integro, antequam vtraq; partu extingueretur, Froſchelia autem primum deceſsit anno 48. cum vtraq; viueret, & rectè valeret: Factum eſt menſe ſeptembri. *Sebaſtiani Froſchelij vxor.*

Iuſtus Ionus D. Theologiæ ſomniauit ſibi pro ſugeſto concionem habenti, horologium, quo vtuntur Doctores ad iudicanda horarum ſpacia, decidiſſe bis, & bis loco reſtitutum. Anno Domini 1547. paulo poſt mortem obijt ætatis ſuæ anno 63. 9. Octob. *Iuſtus Ionas.*

Conſpexit Georgius Fabricius Gregorium Seidendoſferum Oeconomum Ludi illuſtris Miſenæ, animam agere & mori. Et in terra egerenda è tumulo, quo condendus erat, ingentis magnitudinis, moliſq; Saxum, veſpillones videbatur ab incœpto deterrere. Non autem falſum fuit ſomniũ, nam & mortuus eſt Oeconomus paucis diebus elapſis, & ſaxum repertum, quod adhuc eſt reliquum in templo Afrano, exæquans craſsitudine vlnas duas & dimidiam. Cum verò exactè cum re conueniret hoc ſomnium, dignum notatu iudicauit, ideoq; ſua manu Annalibus inſcripſit.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

In nuptijs Philippi regis Hiſpaniarum & Eliſabethæ filiæ ſuæ Henricus 2. Rex Galliæ, Franciſci 1. Filius, poſtremo earum ſolennitatum die, certamine equeſtri fortiſsimè ſe gerens, & congreſſus in haſti ludio cum duce Sabaudiæ ac Pedemontano, haſtæ in ſuo pectore diſsilientis fragmento, perq; galeam violenter adacto, & in cranium altè defixo, accedente febri ardente, intra dies nonnullos obijt, anno ætatis 42. anno Chriſti 59. x. Auguſti. Viderat modum mortis Catharina Medicea mater regis in ſomnis euidentiſſimè.

*Baiazetes.* Baiazetes Selimi pater dixit ſe in ſomnio de morte filij Alemſciæ præmonitum eſſe.

*Muſtapha.* Muſtaphas Solymani 2. Turcarum Imperatoris ex Circhaſia vxore, ſiue Concubina Boſphorana, filius natu maximus ad cœlum vſq; conſcendens, & ad ſolium Mahometi luce diuina radians, eiq; ſupplex, eo ipſo die per nuncium ad patrem vocatur, de affectato regno ſuſpectus, impulſu vxoris ſecundæ Roxolanæ, quæ filium ſuum Selymum ſecundum augeri, & patri ſuccedere cupiebat. Paterno igitur accitu Alepiam, quæ Antiochia ad Taurum eſt quibusdam, alijs Epiphania, nonnullis Hierapolis, ſunt & quibus Berrhæa, à Turcis Adelphe dicta, in qua tum regiam habebat ſedem Solymannus, contendit magnis itineribus, & muneribus, nihil quidquam mali veritus, quia expers metus eſt, ſceleris expers conſcientia. De equo deſcendens, honoris cauſa erga patrem Imperatorem, & ad hunc ingreſſurus acinacem deponere iubetur. Antequam autem ad patrem accederet, eius manum de more oſculaturus, fune in collum iniecto, patre ipſo diro & immani hoc ſpectaculo oculos atq; animum paſcente à ſatellitibus regijs ſtrangulatur,

Anno

Anno 1553. ætatis 44. nam cum circumcideretur, Anno 31. annorum ſcribitur fuiſſe 22. Quam necem Soliymannus multis lachrymis fertur proſecutus, qui ab altera vxore ſuum filium euehere cupiente, ſe impelle paſſus fuiſſet.

Chriſtianus 3. Friderici 1. filius, Daniæ Rex, qui bellum geſsit cum Lubecenſibus & Carolo V. pius, ſapiens, & quod illa duo comitari ſolet, bello & pace felix: paulo antequam regno terreno relicto, ad regnum cœleſte migraret, de ſua morte ſomnium habuit, & diem atque horam mortis prædixit. Viſus ſibi audire vocem Angeli dicentis, ſi audiretur hora quarta eius diei, vnde annum ordimur, daret operã ſe vt expediret, inſtare diem migrationis. Ante mortem dulciſsimè cum regina & alijs collocutus, inchoauit etiam cantilenas, quibus ſe conſolari ſolitus eſt: Cuius vita exemplum eſt ſapientis & pij Principis & exitus ex hac vita docet, qualis eſſe præparatio piæ mentis in hoc agone debeat. Incidit eius obitus in Calend. Ianuarij anni 1559. annum ætatis 56. *Christianus Rex Daniæ.*

Ferdinandus Caroli V. Frater, Philippi regis Hiſpaniarum filius, Romanorum Imperator, iam mortis tempore appetente, vocato ad ſe Maximiliano filio ſucceſſori, regni adminiſtrationem commendauit. Poſthac, inquit, curæ mihi Deus erit, & ſalus animæ meæ, non longè abeſt, dies Diui Iacobi. Et quidem illis ipſis Diui Iacobi ferijs, extremum vitæ diem clauſit, Anno ſexageſimo quarto. *Ferdinandus.*

Anni quadrageſimi ſecundi Philippus Melanchthon huiuſmodi ſuum ſomnium recenſet: Hac nocte ſomniaui me in patriam à Ludouico Palatino reuocari. Fortaſsis ille *Philippus Melanchthon.*

mortuus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

mortuus, vocat me in cœleſtem patriam. Id in eam partem interpretatus eſt, quod tum & curis conficeretur, neq; firma valetudine vteretur, ſe ab illo principe mortuo ex hac vita euocari. Verùm præſagium hoc obitus Ludouici fuit, qui eſt altero anno ſecutus.

*Chriſtophorus Moſhauſerus.* Chriſtophorus Moſshauſerus Islebienſis dormiens voluit videre corpus Philippi Melanchthonis, pheretro impoſitum, & tumulandum: neq; aſpectu potuit ſatiari, neq; à ſuſpirijs & lachrymis abſtinere. Tum hic dixit, ſede fili, hauſtu vini vterq; reficiemur, & ſic poculum illi porrexit: quo ille exhauſto, potu mirificè fuit delectatus. Digreſſurus verò, dixit, Veſpera, pater, ſit tibi fœlix: Eaq; veſpera obijt, Anno ſexageſimo, Die Aprilis vigeſimo primo, qui ei & natalis fuit, & mortis dies.

*Mathias Vuanckelius.* Mathias Vuanckelius, Præpoſitus Chembergenſis, vno à Vuiteberga milliario, triduum antequam apoplexia moreretur, putauit in quiete ſe ad aram ſtare, et ibidem cùm priorem coniugem defunctam, tùm, quam tunc habebat, procumbere. Incidit autem animo hæſitatio, vtram duceret, neq; enim licebat vtramq; ducere: tandem re deliberata, priore abducta diſceſsit. Secutus eſt autem primam coniugem anno Chriſti LXXI. ætatis ſexageſimo, die 4. Non. Februa. peracta concione matutina, cum prior vxor mortua eſſet, 1552. VI. ſeptemb.

*Georgius Fabricius.* Georgius Fabricius præceptor meus, ea ſeptimana, qua mortem obijt M. Nicolaus Picus, Paſtor Eccleſiæ Miſnenſis ad Diuam Afram, & Ludi illuſtris, pilam in templo collabi dormiens vidit. Præſignificata eſt mors Pici, qui ſepultus eſt anno ſexageſimo quinto XIIII. Calend. Aprilis.

*Iohannes Ranzouius.* Henrici Ranzouij pater Iohannes Balthei militaris inſignibus decoratus Hieroſolymis, vir fortiſsimus, trium Da-

niæ

niæ Regum Friderici 1. Chriſtiani 3. Friderici 2. ſummus dux ſuprema vitæ nocte, cum horrenda mortis ſpecie in ſomnis acerrimè, ſummoq́ conatu dimicauit: (eſt enim mors φοβερώτατον πάντων, & naturâ eam abhorremus) adeò vt ſummis viribus, totiusq́ corporis niſu pondus ſibi incumbens auerſari & amoliri exiſtimaretur: alioqui etiam morbi violentia & ſenio exhauſtus, vt nec membra moueret præ languore et ægritudine corporis, nec manus attolleret. Quo animaduerſo Paulus Ranzouius Henrici frater, qui fortè patri aderat, dubiè ægrotanti, pietatis cauſa, rogauit quidnam eſſet, quod conaretur amouere, ſpeciem ſibi mortis obiectam, reſpondit, cum qua grauem ſuſtinuiſſet luctam, tandemq́ victus ſuccubuiſſet. Die ſequente â morte corporis ſuperatus, mortis æternæ victor, vitæ melioris gaudia adijt, placidè mortuus anno 56. xii. Decemb. cum vixiſſet annos ſeptuaginta tres & menſem vnum.

Vir magnificus, illuſtri antiquiſsimi generis nobilitate, doctrina, virtute ornatiſsimus Henricus Ranzouius Sereniſsimi Regis Daniæ in ducatibus Sleſuici, Holſatiæ, Ditmarſiæ legatus & conſiliarius, ſomnia aliquot commemorat, in elegia doctiſs. quam ſuperiori anno edidit, euentu certo, minimeq́ dubio comprobata, cùm de ſuis rebus, tùm de rebus amicorum: quædam præterit, & quidem certo conſilio, ea paucis referemus. *Henricus Ranzouij.*

Danielis Ranzouij caſum, qui in oppugnatione arcis Vuarpurgæ globo ictus tormentario cecidit, anno ætatis 40. Chriſti 69. 11. die Nouembris, dux exercitus bello quod inter Daniæ & Sueciæ reges in Octauum uſq́ annum productum fuit, cui ipſe ſeptennium præfuit, ſumma fortitudinis laude, Henricus Ranzouius præuidit in ſomnijs: Dormiens enim circa auroram viſus eſt ad arcem Danielis, gen-

tilis ſui, accedere, oculis obiectam, eiusq́; ſtructuram magnificam, maxima cum admiratione ſuſpicere: Sed ab arce rurſus diſcedenti, multumq́; reflectenti oculos, inſignis arcis moles viſa eſt in exiguum lapideum ſubſidere monumentum, cuiuſmodi illud eſt, quod ante aliquot annos patri ſuo, in primario Diui Laurentij templo Itzehoæ, qui quondam comitum Holſatiæ ſepultura fuit, ſtatui curauerat.

Id. Anni 1581. die 24. Auguſti, currum nuptialem conſpexit mutari in currum feralem, quo defuncti efferuntur: paulò poſt matrem amiſit morte, anno ſeſequenti, die 29 Decembris, eodemq́; anno filium natu minimum Iohannem XVII. octobris agentem annum ætatis decimum Octauum.

Id. Menſe autem quinto ante quam Iohannem Heidelbergæ ex hac vita euocatum amitteret, in ſomnis patri ſuo Iohanni denuò parentauit. Ex quo præſagijt, filium patri cognominem, aut morbo periculoſo implicitum iri, aut moriturum.

Id. Neq; ita diu poſt, è bullis thoraci affixis, vnam ſe perdere, & annulum aureum dormiens exiſtimauit: obiturum filiũ non dubitauit.

Id. Ante obitum Petri Oxij, aulæ regis Daniæ, magiſtri curruí ſibi viſus eſt inſidere, vna cùm Volrado Roſenkranzio, primario regni conſiliario, & eo, quem diximus, Petro Oxio: Orta verò diſputatione de optima ratione regni adminiſtrãdi, Petrus id gubernandum cenſebat in virga ferrea, id eſt, vi adiungendum imperium & extorquendam obœdientiam: At Ranzouius diſputare contrà, firmius ſe credere & ſtabilius imperium, quod amicitiâ adiungitur & beneuolentia ſubditorum, quàm auſteritate & violentia.

Tum

Tum Petrus aurigam iubere equis calcar admouere, Quo equos ſtimulis vehementius concitatur, Euertetur currus, inquit Ranzouius. Dictum, factum, Holgerus Roſenkrancius & Oxius curru excutiuntur. Hinc ſolerti animo coniecit, neutrum diu fore ſuperſtitem. Eius rei habet teſtes adhuc in viuis, quibus ante euentum ſomnium aperuit, & veritas vtriuſque morte fuit comprobata.

Demoſthenes iam obtruncandus ab Archia Thurio, tragœdiam egit nocte præcedente in ſomnis, & aduerſus Archiam certauit: quanquam autem & delectaret ſpectatores & applauſum mereretur, apparatu tamen & ſumtibus fuit inferior. *Demoſthenes.*

Eudemus Cyprius in Macedoniam iter faciens, Pheras peruenit, vrbem Theſſaliæ, crudeli Alexandri Tyranni dominatu preſſam: in eo oppido tanto correptus morbo fertur, vt de vita eius medici omnes diffiderent. Vidit autem in quiete egregia facie iuuenem, qui diceret, fore breui, vt conualeſceret: paucisque diebus interiturum Alexandrum: Eudemum verò quinquennio elapſo domum rediturum. Conualuit Eudemus: ab vxoris fratribus Tyrannus eſt interfectus. Quinto verò anno eum reditus ſpem animo agitaret, Eudemus in Cyprum è Sicilia, prælio ad Syracuſas occubuit. Quod ſomnium ita ſunt interpretati, cum animus è corpore exceſsiſſet, tum demum domum reueriſſe. *Eudemus Socratis familiaris.*

Benedictus Abbas in ſaltu caſsinati, cum duobus Monachis ad inchoandam extructionem monaſterij, alio miſsis, Se ipſis affuturum promiſiſset, non corpore acceſsit, ſed in ſomnis imaginem ſtructuræ obiecit. Floruit in monte Caſsino ſub Iuſtiniano Imperatore, Vigilio P. R. circa annum Chriſti 535, tempore Belli Gotthici, & Vandalici. *Benedictus Abbas.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Mardoniꝰ* Miſſus ad Amphiaraum ſeruus Mardonij, ſecundum quietem non DEVM vidit, ſed DEI miniſtrum, à quo primum verbis durioribus arceretur, DEO ſcilicet non præſente: deinde manibus extruderetur: Poſtremò etiam reſiſtans, grandi Saxo in capite feriretur. Oraculi ſomnium ſic euenit. Nam Mardonius victus eſt non à rege, regem autem tunc agebat Spartæ Plitarchus, Leonidæ I. filius, qui in ipſis regni initijs mortuus eſt, adminiſtrauit verò regnum tutelæ nomine Pauſanias patruelis, geſsitq́; bellum contra Mardonium, tutor & vicarius Græcorum dux: & lapide ictus, vt in ſomnis Lydus cædi ſe viderat, occubuit.

*Demetriꝰ. Plut. Demet.* Demetrio viſus eſt Alexander ſecundum quietem eximiè armatus ab eo percontari, quam belli teſſeram, quodq́; ſignum eſſent daturi: Vbi reſpondit, Demoleontem & victoriam. Abeo ergo, inquit ille ad hoſtes tuos, me recepturos. Demetrius vincens Seleuci filium Antiochum nimium inſtando vincitur.

*Mithridates.* Circa Euphratem deprehenſus à Pompeio Mithridates ſomnio putabat nauigare ſe in mari Pontico, curſuq́; & ventis vti ſecundiſsimis, & proſpicere Boſphorum, comiteſq́; ſe nauigationis compellare. Verum ab omnibus ſe deſeri animaduertit, & fragmento exiguo, tabuliſq́; nauis fractæ iactari. Inter ſomniandum à militibus tumultus excitatur, annunciantibus adeſſe hoſtes Romanos duce Pompeio. Pugna conſerta Mithridates funditur, octingentorum equitum cuneo per Romanorum aciem via facta perrumpens, cum tribus ſolis relinquitur. Deceptus autem fuerat: Nam cum neceſſario ſibi depugnandum prouallo intelligeret, lumine lunæ iam decidentis, et ad Occaſum vergentis luſis militibus, qui iam arbitrabantur haſtis poſſe lædi Romanos, quod vmbræ

bræ longè ante corpora progrederentur, haſtis temerè in hoſtem effuſis Mithridatici victi & fugati ſunt: amiſsis X.M. & pluribus captis. Ipſe verò ex pugna ſe recipiens, Boſphorum confugit, fuſus eo anno quo Horatius poëta natus eſt, V. C. 689. ad ſtellam Armeniæ montem, cùm hac clade nobilitatam, tùm Baiazetis I. Imper. Turcici, qui à Tamberlane captus, aureis catenis vinctus & ludibrio publicè habitus eſt.

Mithridate Cyzicum oppugnante, ſine ludi Magiſtro Cyzicizeno. Ariſtagoræ, qui in ſummo magiſtratu tum erat, Proſerpina in quiete dixit: Equidem adſum, vt tibicinem Africum, à me conductum, in tibicinem Ponticum impellam. Tu ergo ciues iube eſſe bono animo. Auſter procelloſus, regis Mithridatis turres euertit, & munimenta poſtero die diſiecit. *Ariſtagoras.*

Petitius nauclerus ciuis Romanus nocte proxima ante conflictum Pharſalicum, in quo totius Reipub. Romanæ forma mutata in vnius Cæſaris poteſtatem conceſsit, Pompeium videbatur non lætum & alacrem, qualem antea conſpexerat, ſed veſte obſoleta, mæſtum & abiectum. Qualem viderat Pompeium, talem obuium habuit in nauicula fluuiatili, petentem, vt in nauem reciderctur, cæſo exercitu, & victore Cæſare.

Appianus II. De B. C. primum fulguri è cœlo labenti, & è Cæſaris ad Pompeij caſtra penetranti, ibidemq; extincto. Deinde victimæ quæ Pompeio immolanti effugiens, neutiquam deprehendi potuit, pòſt apum examini in caſtris commoranti: præterea trepidationi in Pompeij exercitum ex improuiſo incidenti, ducis acceſsit ſomnium. Is enim poſtquam ſedaſſet trepidationem, ſomno profundo ſopitus, templum ſe Romæ conſecrare Veneri Victrici ſibi viſus eſt, voti Cæſaris ignarus. Nam Cæſar Martem & Venerem inuocarat, & *Pompeius.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

templum victoriæ Fauenti, gratis Romæ dedicaturum ſe vouit, ſi ritè peregiſſet.

Amici Pompeij id boni ominis & præſagij fauſti ſomnium interpretabantur, iamq; de ſacerdotio Cæſaris contendebāt. Sed Pompeius metuebat, quia præter ſolitum, non amplius, vt ante regebat, ſed regebatur, & inuitus ad prælium compellebatur. Nam præſaga mente dixerat: Diem illum, vtrumq; victoria potiretur, magnarum Romanis calamitatum cauſam allaturum.

M. Antonio Triumuiro dextra manus dormienti arſit icta fulmine: pauci dies abierunt, cùm molitiones aduerſus ſe Cæſaris Auguſti intellexit, à ſenatu hoſtis iudicatus & fuſus eſt.

In laniena illa qua Septimius Seuerus, in Pannonijs & Ilyrico Peſcenninus Saluius Niger in Syria, Clodius Albinus in Gallia, Iulianus Romæ, de Imperio contenderunt, victore tandem Seuero: Nigro litante & imperium turpiſsimè adminiſtrante, Iuliano ſegnius rem agente, Albino capite truncato, Iouis ſacerdos Nigrum quendam hominem vidit inuadere Cæſaris exercitum, & manibus diſcerpi. Victus ad ſinum Iſsicum, clade Darij nobilem, Niger eſt, qui in Aegypto & Syria rebellauerat, & apud Cyzicum, vrbem ſuperioris Myſiæ ſupra Phrygiam, iuxta Propontidem, interfectus.

Clerico Alemano apparuit fluuius magnus & turbidus, glacie mixta, celeri curſu delatus ab Occidente aduerſus Boiemiam, addita voce hac lamentabili, dies tribulationis, dies miſeriæ.

Rodolphus, antea magiſter aulæ Othogari, pòſt Imperator Romanorum primus è familia comitum ab Habsburg, & Othogarus in Auſtria ſunt congreſsi: Rex verò Boiemiæ à ſuis proditus, & fortiſsimè dimicans occiſus oppetijt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tijt, anno Chriſti nati 1279. Ab eius morte infanda & inſolita fames, Boiemiam inuaſit. Eiuſdem generis erat tertium Reinbothi cuiuſdam militis Teutonici, cui dormienti ſe obtulerunt quindecim lunæ in cœlo, inter ſe pugnantes; quarum duæ cæteris erant maiores: & harum alterà multa, foramina habebat, in quam cæteræ impegerunt, eamq́ conſumſerunt penitus. Hoc dum miratur, Rex Boiemiæ multum emittit vomitum. Prodigia hæc fuerunt caſuum Othogari, & periculorum quibus fuit implicitus, cùm, hortatu coniugis ſuperbæ & faſtuoſæ, tenuiores conditionis Imperatori non vellet ſe ſubmittere, Diuinitus euecto. Itaq́ ſe vita & regno priuauit, neq́ filij paternæ dignitatis & potentiæ hæredes fuerunt. Vuenceslao ſine hæredibus extincto.

Idem Rex Boiemiæ, gentili nomine Primiſslaus, cornua ſe habere putauit in capite quam plurima, quibus omnibus priuaretur vno excepto. Tenuerat autem Carinthiam, quam accepta pecunia Vlrico conceſsit. Item Caruiolam, Marchiam Sclauoniam, Styriam armis acquiſiuerat, Hungaris ademptam. Eidem ſe ſubmiſerunt Veronenſes, Feltricenſes, Taruiſini & multi ex Foro Iulij. In Pruſsia Tartaros vicerat, Regiummontem extruxerat, Verum breui tempore vitam amiſit cum potentia.

Philippus Melanchthon falſò accuſatus, quòd ex Aſtrologicis ſignificationibus non faceret victorem Gallum, & eius ſocios, qui bellum gerebant contra Carolum V. Imperatorem, ſcriptum illud à ſe compoſitum negat, ſed habere ait ὄναϱον τίνα, certiores ſignificationes, quam Aſtrologicas Vidiſſe à Maximiliano duriter pulſari. Alcibiadem ſigillo Et in alia Epiſtola ad mœnia vrbis Metenſis τὸν Αλκιβιάδην infeliciter pugnaſſe, & vulneratum ait, eaq́ cum ſomnio congruere. Eſt Monaſterium locuples Maximiliani ad vrbem Tre-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

uirorum, vbi infeliciter pugnauit Alcibiades. Etſi autem Principis nomen diſsimuletur, ſi quis tamen Philippi legat Epiſtolas ad Camerarium, quis ille fuerit, non eſt obſcurum: Et oſtendunt id literæ initiales, conuenientes cum initio nominis Principis: quod autem Aeacidem vocat, notum eſt, Achillem etiam fuiſſe Germanicum, eiusdem cuius Princeps hic, familiæ. Et omninò temporum ratio congruit.

Idem Melanthon ex Zerueſta, oppido ditionis Principum Anhaltinorum, quo propter bellum ſeceſſerat, motum inter Iohannem Fridericum & Carolum V. ad viſendos collegas, qui remanſerãt, Vuitebergam cum reuertiſset, ix Aprilis, quæ erat vigilia Paſchatis, ea nocte ſomniauit, ſe legentem in ſcriptore Græco, incidere in hæc verba: τιμόθεον ναυμαχοῦντα ἁλῶναι, eisq; aſcriptam votã numeri xv.; diſputaſſe verò cùm in ſomnis, tùm in templo, die paſchatis cum collegis, de propria verbi ſignificatione, actiuàne eſſet, an paſsiua, & quid portenderet hoc ſomnum. Addidit autem interpretationem euentus. Nam xv. die poſt, qui eſt xxiiii. Aprilis, à Caroli V. equitibus, per Albis vadum traductis fortiſsimè dimicans Iohannes Fridericus dux Saxoniæ ad Mulbergum captus eſt. Hæc Paulus Eberus.

*Xenophon.* Xenephon περὶ Ἀναβάσεως κύρου lib. 3. Inops conſilij & animo anxius cum perturbaretur, vnà cum cæteris, cumq; leniſſimè dormiret ſomnium vidit. Videbatur ipſi exorto tonitru fulmen incidere in domum paternam, indeq; totam illuſtrari. Territus autem ſtatim experrectus fuit: & ſomnium quidem ex parte iudicauit bonum, hoc reſpectu, quod in laboribus & periculis inſtituto, à Ioue magnum lumen affulgeret: ex parte verò etiam timebat, quia à rege quidem Ioue ſomnium proficiſci non dubitabat, ſed omnia circumquaq; lato igni ardere videbantur, vt ex vniuerſa regione exitus

inter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

intercluderetur, omnium que rerum inopia & ſumma diffi-
cultate laborans, quid faceret, neſciebat. Quale autem hoc ſomnium fuerit, videre eſt ex ijs,quæ ſomnium conſecuta ſunt. Etenim vt primum ſomnus abijt,primùm quidem in has cogitationes incidit: Quid dormio, nox procedit: ſimul ac verò Sol ortus fuerit, hoſtes affuturos, eſt veriſimile. Si verò in poteſtate regis fuerimus, nonne hoſtibus erunt omnia facilima & expeditiſsima, nobis verò in anguſtum contractis, cum ignominia erit moriendum. Vt autem illud auertamus,nemo parat,nemo in animo inſtituit: Sed dormimus ſuauiter haud aliter, ac ſi foris tuta eſſent & tranquilla omnia.

Ego igitur cuius vrbis exercitum credam id facturum? Quos annos acceſſuros manenti? Non enim produxero vitam,Si hoſtibus meipſum hodie prodam. Omnibus victis difficultatibus in eo bello & profectione,ad quam confirmatus fuerat â Socrate præceptore ſuſcipiendam,prætor contra Tiſſaphernem, Mithridatem, Orontem laudem gloriæ bellicæ, ſibi comparauit. Meminit huius ſomnij etiam lib. 6. Ἀναβάσεως. Accedebat huc aliud lib 4. quo inquiete, ruptis, quibus ſe opinabatur vinctum, compedibus, ſua ſponte incedebat liberè quocunque vellet, cum ad priores hoſtes acceſsiſſent Armenij, Mygdones, Chaldæi mercenarij. Hoc narrans Chiriſopho,ſperare ſe ait optimè,& vnà cùm cæteris ducibus ſacris peractis,corporibusque refectis,fortiter hoſtes aggreditur, omnibus periculis ſuperior.

Alexander Magnus Macedonum Rex,à Deo ipſo longè antequam naſceretur, Monarcha deſignatus, per quem abolenda eſſet Monarchia Perſica, ante expeditionem Aſiaticam, ſacerdotem in ſomnis vidit, inſigni veſtitu, ſtola byſſina, ornatos ſacerdotes,& ipſum pontificem apice conſpicu- *Alexander M.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

um. Veniens Hieroſolyma poſt captam Tyrum, eo ipſo quo in ſomnis habitu viderat, ſacerdotem obuium habuit: de equo deſcendit, religioni honorem habuit, vrbi & templo non modo non inimicus ob negata in obſidione Tyri auxilia, ſed plane diſceſsit munificus. Verum hanc ſupra recenſuimus inter diuina.

*Medius.* Medius Antigoni amicus, hunc cum toto exercitu certare vidit diaulo: acriter primum & maxima, quantum poſſet, contentione, poſt viribus paulatim flacceſcere: vt tandẽ curſum flexit languidum & Spiritum ægre trahentem, animam recipere. Bello contra Ptolomæum in maximas difficultates, & perplexitates errà incurrit, reqꝫ infecta ipſe rediit et Demetrius.

*Decius.* M. Valerio, A. Cornelio coſs. P. Decius, & filius, cùm eſſet tribunus militum, & à Samnitibus premeretur exercitus, cùmqꝫ pericula præliorum iniret audacius, moneretur qꝫ, vt cautior eſſet, dixit, ſibi in ſomnis viſum eſſe, cum in medijs hoſtibus eſſet, occidere cum maxima gloria, & tum quidem incolumnis exercitum obſidione liberauit: poſt triennium autem Conſul, deuouit ſe, & in aciem Latinorum irrupit armatus, quo eius facto ſuperati ſunt & deleti Latini.

*Cyziceni.* Mythridates copijs Cyzicum obſidentibus, Ilij Mineruam compluribus in ſomnis obuerſatam memoriæ proditum eſt, copioſo ſudore manantem, & partem diſciſſam pepli oſtendetem: Eamqꝫ dixiſſe, modo venire ſe ad opem Cyzicenis ferendam. Columnam quæ decreta & literas de his inſcripta haberet, ab Ilienſibus monſtratam, Plutarchus ſcribit in Lucullo. Et quidẽ Mythridates poſt dies paucos fame coactus, militibus etiam à carnibus humanis non abſtinentibus, obſidionem ſoluit.

Germanicus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Germanicus Cæſar habuit ſomnium ante Victoriam, ſe Dijs ſacra facere, & ſua veſtimēta ſanguine ſparſi: Sed à Liuia veſtibus precioſioribus ornari. Ex his coniecit ſe victorem euaſurum : ideoq; poſtero die prælium cum hoſte feliciter inijt, uictoriamque obtinuit. *Germanicus.*

Cyrus Magnus, qui Monarchiam Babijlonijs extortam, ſuæ genti vendicauit, proficiſcens in Armeniam, viſus eſt ſibi iniectis compedibus impediri: quibus paulò pòſt ſua ſponte diſsilientibus, quocunq; vellet incedebat. Vnde non dubitauit obijciendas ſibi difficultates, & impedimenta, ea tamen non fore diuturna ratiocinatus eſt: certamq; & facilem ſibi victoriam eſt pollicitus. Itaq; euenit, victor vbiq;, excepto ſolo bello contra Maſſagetas, poſtremo quanquam ſunt qui hoc bellum aſſcribunt Cyro Medo, auunculo Cyri, fratri Darij, qui ſit à Tomiri interfectus, ſiquidem Cyrus monarcha Perſarum placida morte deceſsiſſe ſcribitur à Xenoph. lib. 8. Tacitus refert Cinnam habuiſſe ſomniū, de Quintilio Varo, ita vt ex loco paluſtri prorepere & Cinnam ad ſe pertrahere velle Quintilius videretur, Poſtero die pugnam cum Germanis, à quibus cæſus fuerat Quintilius, commiſit acerrimam in qua parum abfuit, quin perierit. *Cyrus M.*

Initio belli inter Fridericum II, Daniæ regem, Chriſtiani III. filium, & Ericum XIIII. regem Sueciæ ab anno LXIII. vſque ad Decembrem anni LXX. geſti, cum de eius gerendi ratione conſilia inirentur, & Flensburgi deliberaretur, quo cùm ipſe Rex Daniæ, tum Guntherus Schuarzburgius, Quatuoruir Comitum Romani Imperij, & cæteri duces conuenerant, Chriſtianū regem, qui quadriennium antè reb ushumanis exemtus fuerat, præſentem in ſomnis habuit Henricus Ranzouius, Regis Legatus, qui ſic diceret, Filij, quid agitis, filij, quid cœptatis, Ego ſi vixiſſem, nequaquam hoc paſſus

 fuiſſem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

fuiſſem. Sortientur tamen omnia exitum optatiſsimum proſpereq́ſ ſuccedent, præter ſpem & expectationem omnium. Hæc multis tum communicauit, & inter primos D. Nicolao Vogelero nunc conſuli Hamburgenſium, & eorum Syndico D. Mollero & legatis reipublicæ Lubecenſium bonam ſpem iniecit. Vt verò magis animum aduertas & credas, inquit Artemidorus c. 29. libri quarti: Nam & nos ſeria repetimus, & memorabilia reuoluimus, ſic & anima præſagiens: Ideo hoc ſomnium eſt alio confirmatum aliquanto poſt, cum fundamenta pacis iacta eſſent, & primus aditus ad pacificationem inter Fridericum Daniæ, & Iohannem ſucceſſorem Erici Sueciæ regem, Odenſchæ factus, nondum tamen omnibus transactis: Tum horis matutinis quidam Ranzouio dormienti nunciauit, Eſſe quidem tentatam pacificationem, veruntamen transactioni ipſum quoq́ſ interfuturum, vna cum Doctore Klenckio Decano Bremenſi, antequam de omnibus conueniant. Hæc cum ad Doctorem ipſum Bremam perſcripſit, tum nec alijs diſsimulauit. Et ſic euenit, Quia, nondum omnibus rebus compoſitis, Stetinum Ranzouius & Klenckius fuerunt ablegati, regis Danici nomine totumq́ſ bellum ſopitum.

*Hecuba*

Hecuba apud Euripidem ſuum commemorat ſomnium admodum ominoſum, & infinitarum calamitatum nuncium.

ὦ πότνια χθὼν
μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.
εἶδον γὰρ βαλιὰν ἔλαφον
λύκου αἱμονι χαλᾷ σφαζομέναν,
ἀπ' ἐμῶν γονάτων σπασθεῖσαν ἀνάγκᾳ.
οἰκτρῶς, καὶ τὸ δὲ δεῖμα μοι
ἤλυθ' ὑπὲρ ἄκρας τύμβου κορυφᾶς
φάντασμ' Ἀχιλλῆος

ἤτει δὲ γέρας, τῶν πολυμόχθων, τινὰ τρωϊάδων.

Dares libro de excidio Phrygiæ : Iam appetente pugnæ tempore, fuerunt enim induciæ in vtroq; exercitu, Andromachæ Hector maritus per quietem apparuit : malum id omen arbitrata, ad Priamum ſocerum mœſta ſane ex ſomnio, viſum retulit, & ne pateretur tectorem, manum inire cum hoſtibus eſt hortata: eſſe enim diem verebatur fatalem & dirum. Priamus itaq; Alexandrum, qui idem Paris eſt alio nomine, Helenum, Troilum, Aeneam, duces in pugnam miſit. Hector, eo audito, arma iratus popoſcit, & in hoſtis cõtẽdit. Veruntamen Andromacha miſere quiritante, & filio Aſtyanacte ad eius genua proiecto, vt ipſius miſericordia motus maneret, à Priamo ægre retinetur. Tandem verò audiens Troianorum exercitum laborare, inſtantius Achille, Agamemnone, Diomede, Aiace, multis cæſis, & Achille ipſo in femore vulnerato ipſe oppetit.

Dictÿs Cretenſis lib VI. ὀνειροπόλοις, Vlyſſes refert viſum à ſe ſimulachrum inter humanum diuinumq; vultum medium, formæq; perlaudabilis ex eodem ſæpius loco repente ſeſe efferre. Quod cum amplecti ſummè cuperet, manusq; porrigeret, reſpõſum eſt ab eo humana voce, ſceleratam eſſe huiusmodi coniunctionem. Eſſe enim eiusdem ſanguinis & originis, namq; ex eo alterum alterius opera interiturum. Deinde percontanti diligentius, & cauſas perquirenti inſtando, ſignum quoddam mari editum interuẽire viſum eſt, idq; ſecundum Imperium eius in ſe iactum vtrunq; diſiunxiſſe. Cauendũ à filiÿ inſidiÿs mouetur portẽdi enim illi exitum niſi caueat. Itaq; vitæ ſuæ timens Telemachum relegat in Cephaleniam : ipſe in loca ſeceſsit abdita, & à congreſſu hominum *Vlyſſes.*

remota. At Telogonus, Vlyſsis ex Circe filius, qui apud Aeam inſulam educatus fuerat, Ithacam venit, gerens manibus haſtile, cuius ſummitas oſſe turturis marini armabatur, inſigni ſcilicet eius inſulæ in qua genitus erat: is patrem Vlyſſem, cum non facilè admitteretur, in ipſa contentione inſcium interfecit, multis ante cuſtodibus læthaliter vulneratis, aut etiam obtruncatis, â quibus à Parentis conſpectu arcebatur:

*Penelope.* Penelopes ſomnium eſt, Vidiſſe ſe anſeres xx. & quidem cũ delectatione vidiſſe, ex aqua cibum capientes, quos aquila grandis, ex monte irruens roſtro apprehenſos interemerit: ſeq́; in altum extulerit. Græcas autem mulieres viſas circumſiſtere, cùm lugerent anſerum interitum. Tum aquila domui inſedit. Et anſeres quidem procos interpretatus eſt Vlyſſes, ſe verò auem olim, nunc maritum ipſius, rediſſe, prociſq́; mortem illaturum. Vt igitur Vlyſſem â propoſito pertinaci auerteret, duplices ſomniorum portas facit, aliam falſorum, aliam veracium.

*Hypparchus,* Hypparchus Piſiſtrati filius, Hippiæ Tyranni frater, in ſomnis virum vidit procero corpore, & venuſto ſibi aſsiſtentem, pridie Panathenæorum, & hos verſus αἰνιγματῶδες accinentem.

τλῆθι λέων ἄτλητα παθὼν τετληότι θυμῷ
οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει:

*Intoleranda Leo patienter ferre memento*
*Nullus nanq; nocens pœna non afficietur.*

Adijcit Plutarchus de ſera numinis vindicta, viſum ipſum ſibi vultũ conſpergi ſanguine à Venere, phialam tenente plenam & ſpumantem. Eſt autem confectus pugionibus, teſte

teſte Thucydide lib. vi. ab Ariſtogine & Harmodio cum per amorem turpem Harmodio vim paraſſet. Vim autem & turpitudinem repulſurus, coniuratione inita mortem Harmodius hoſti attulit.

Hippias cum Matre eſt ſibi viſus concumbere, quo tempore barbaros in Marathonem deducebat: Dubio ſomnio deceptus, ſperauit in patriam ſe rediturum, & Athenis recepto dominatu ſibi ſeni moriendum. Eidem annis confecto, cum iam ad Marathonem in ſtationibus naues locaret, barbaroſq; facta exſcenſione in acie diſponeret, vehementius ſternutanti, tuſsi accedente, dens excidit, ſed nuſpiam potuit reperiri, vnde de terra occupanda animum deſpondens, abiectaq; ſpe reditus & victoriæ, tantum ſe terræ poſſeſſuros dixit, quantum dens occuparet. Concubuit autem cum matre terra, Quia autor & concitator iſtius belli, & dux exercitus Darij, in patriam impius, in acie cecidit. *Hyppius Erato Herodo.*

Eiusdem generis cum ſomnio Penelopes, eſt Plautinum in mercatore, de Capra, Simia, Hœdo, id eſt de ancilla peregrina, quam deperibat ſenex, qua de cauſa rixas vxor mouet, quæ tandem interceſsione adoleſcentum componuntur. *Inſt. 2. Plautinū.*

Dydimus Alexandrinus cæcus quidem à puericia, ſed doctiſsimus, qui auditu omnia didicerat, ieiunijs & oratione Deo ſeruiuit: omnium autem ardentiſsimè orabat, vt Deus modum ſtatueret, & finem faceret perſecutionis, & ſæuiciam Iuliani ne progredi vlterius ſineret: Is ἐκσάσει extra ſeſe raptus & ſomno, candidos equos in aere curſum agitantes, admirabundus intuitus eſt, inſidentibus qui nunciari iuberent Didymo, illa ipſa hora occiſum Iulianum, idq; ad Athanaſium Epiſcopum perferendum. Expergiſcens cibum lætus capit, & mox fama de cruento Iuliani, in prælio incerto autore vulnerati, interitu percrebuit. *Didymus.*

Anto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Antonino ſeptimi Seueri filio, Caracallæ, ſic dicto à veſte Gallica, pauló antè obitum, profecturo Antiochia pater in ſomnis aſtitit cum gladio, & minas intentans, vt tu, inquit, fratrem tuum interfeciſti, ita ego te interficiam, Cæſus eſt à tribuno Martiali.

*Antonius.*

Valens Imperator, Sectæ Arrianæ propugnator acerrimus, in ſomnis ſibi hæc verba occini audiuit: Magnum ad Mimantem vade feſtinus, te ibi extinguet horrentem grauijs fati impetus E ſomno excitatus, qualis locus Mimas eſſet, quærit: Audiuit autem è Grammaticis montem eſſe Aſiæ, cuius faciat mentionem Homer, Δ γ παρ᾽ ἠνεμόεντα μίμαντα: inquit autem interpres Homeri, quod et Mimas ὄρος ἐρυθρὸν ἀντικρὺ χίου τῆς νήσου ἀπὸ μίμαντος ἑνὸς τῶν γιγάντων ὀνομασθὲν. Et eodem loco, κεῖται ἡ νῆσος χίος μέση τῶν ψυρῶν καὶ τοῦ μίμαντος. Quo audito, riſit, Quæ, inquit, eò me vocat neceſsitas, aut quod fatum? Poſteaquam vero in bello aduerſus Gothos, exuſtus eſſet, igni exorto, ex palearum ſtrue incenſa circa Hadrianopolem, in eo tugurio vbi perijt, viri cuiuſdam ſepulchrum inuentum eſt, cum hac inſcriptione: Præfectus Macedonum Mimas hîc ſitus eſt.

Cùm Anaſtaſius Imperator, patronus Eutychianorum, Iuſtinũ et Iuſtinianũ, de inſidijs quas vitæ ipſius poſuiſſe dicebãtur, ſuſpectos, in vinculis teneret, vir quidã terribili ſpecie per ſomniũ viſus eſt edere hæc verba: Iuſtino & Iuſtiniano, ne quid mali feceris: Nã ſuo vterq; tempore Deo ſeruiet. Paulò pòſtquam à crimine læſæ maieſtatis, ſomnio adductus, hos abſoluiſſet, eandem viri formam vidit, non minus horrendam, librum tenentis & hæc verba ore minabundo pronunciantis: Ecce ob peruerſitatem fidei tuæ, quatuordecim annos vitæ tuæ deleo, & inter dicendum annos ſimul expunxit. Excuſſus ſomno Athanaſius angebatur magnoperè, ſomniumq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

mniumq; Adamantio cubiculi præpoſito enarrabat: qui â ſe quoq; viſum alterum addidit, eodem pertinens, nempe ſe coram Anaſtaſio ſtantem à porco, apprehendente prætextam, in terram proiectum dilaniari. Proculus coniector adhibitus vtriq; mortem ſignificari dixit. Anaſtaſius verò cum ex oraculo didiciſſet, igni ſibi pereundum, vt fati neceſsitatem eluderet, ciſternam in palatio fabrefecit, quo in incendij periculo, ſi quod incideret, ſe poſſet recipere. Sed fuit fatum ineluctabile: nam amro ſomnij viſi, VI. Id Iulij ſuboerta ſæua tempeſtate cum conſcientia territum, inquies animus nuſquam pateretur conſiſtere, in regio quodam cubiculo exanimatus repertus eſt. Refertur ibidem in Hiſt. Eccle. Niceph. aliud ſomnium Theodori cuiuſdam, cui mandabatur à Macedonio, quem Anaſtaſius occiderat, vt diceret Anaſtaſio: Ego quidem vado ad Patres meos, quorum fidem ſeruaui, non autem ceſſabo à Domino impetrare, donec venias, & in iudicium ingrediamur.

*Adamantius.*

*quod ædificium Iholotum cognominauit.*

*Theodorus.*

Imperator Henricus IIII. ſomnio admonitus de Hildebrando, ſiue Gregorio VII. pontifice Maximo, tum ſcriniario ſuo, quod cornua habere videretur, quibus filium ipſius impetitum concuteret, hominem in vincula coniecit: ab Imperatoris verò coniuge vinculis exemptus fertur, & Cluuiacenſe monaſterium ingreſſus, atq; ad dignitates ampliores aſpiraſſe, factusq; primum ſubdiaconus, deinde Cardinalis, poſtremo pontifex Maximus. Exercuit autem in pontificatu ſuo Henricum vtrunq; imp. IIII. & V. patrem & filium: Illum imperio deturbauit, in hunc fulmen excommunicationis vibrauit.

Hoc ſomnium cum euentus triſtis, & Germaniæ ferè exitioſus comprobâuit, & ex codice quodam Germanico, qui idiomate conſcriptus Saxonico eſt, nec dum typis expreſſus



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ſus recenſeatur à Reinero, in Appendice Genealogica, quam addidit tanquam coronida Alberto Stadenſi Ranzouiano, integrum cõmemorare libet. Eſtq; illud eiusmodi: Cum cæſar Romæ eſſet, puer quidam Fabro materiario natus, patre opus faciente, propter eum ſecamentis luſit, eaq; collecta in litterarum formas redegit.

Accetsit forte fortuna Saceudos quidam, & literas illas legit, quæ hæc exprimebant verba: Dominabor â mari vſq; ad mare. Vnde auguratus eſt Puerum aliquando Pontificem Rom: fore: idq; ſtatim patri indicauit. Hic filium in ludum adductum informari literis curauit. Qui adultior factus, Cæſaris aulam petiјt, & gratiſsimus Scribis eſſe cœpit. Sed filius Cæſaris, Henricus, qui & ipſe poſt imperauit, Scholaſticum hunc multis iniurijs affecit, atq; exagitauit.

Nam animus ei præſagiјt, quæ ab homine ſibi euentura eſſent. Sed & Cæſar ipſe filij in ſcholaſticum luſus riſit. Contra Auguſta ægrè tulit, & hac de cauſa filium ſæpe reprehendit. Præterea per quietem Cæſar vidit filium menſæ aſsidere, vidit ex Hiltebrandi (nam id ſcholaſtico nomen erat) capite duo naſci cornua, quæ cœlum pertingerent, quibuſq; ille filium Cæſaris ſublimem raptum in barathrum præcipitaret. Hoc ſomnium cum Cæſar vxori expoſuiſſet, illa prudenter coniectans: Clericus hic, inquit, Papa fiet, & filium noſtrum Imperio priuabit. Ibi Cæſar Clericum comprehendi & in carcerem compingi iuſsit, ratus ſe hoc pacto fatum imminens auertere poſſe.

Sed Auguſta grauiter marito exprobrans, quod ſomnijs ad ſcholaſticum lædendum ſe induci paſſus eſſet, effecit, vt is poſt annuum ſpacium liber atq; incolumis dimitteretur.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Hic ab eo tempore monaſticum vitæ genus amplexus, cum abbate ſuo Romam profectus eſt: Cumq; in aula pontificia gratioſus euaſiſſet, demum pontifex ipſe renunciatur etc.

Huic ἀποσπασματίῳ (Sic enim appellat, voce Ciceroni non ſignata) alterum ſubiungitur, continens interpretationem, & euentus qui ſunt ſecuti, ex Henrici IIII. Hiſtoria: Moritur Alexander Papa. Ei Romani ſurrogant Hiltebrandum Monachum ſine regis aſſenſu: nam is alioqui in Papæ creatione requiri & adhiberi ſolebat. Hic eſt, Gregorius VII qui Henricum regem excommunicauit.

Idem eſt Hiltebrandus, fabri materiarij filius, qui Henricum regem cornibus duobus in barathrum præcipitauit qui in Imperio, qui in orbe Chriſtiano maximas turbas dedit Tum enim primum inter ſedem Rom. & Imperium diſsidium natum, quod etiamnum durat etc.

Alberto Magno occurrit ſomnium de puero, qui in riuum de molendino præcipitatus ſubmerſus fuerat: Itaq; accidiſſe è querula pueri matre, manè audiuit. *Albertus.*

Ioſua de Qualen, nobilis Holſatus, egregium illum ducem Danielem Ranzouium, fulmen belli, qui pro rege ſuo & patria corpus ſuum hoſti obiecit, animæ magnæ prodigus, vt cum Horatio loquar, & πτολίπορθον ἐνυῶ, in ſomnis vidit, impulſu globi tormentarij ictum oppetere. *Ioſua de Qualem.*

Id ſomnium fratri Ioſiæ, eodem lecti dormienti narrauit, euentu poſt comprobatum die ſeptimo, quo ictu bombardæ grandioris in oppugnatione arcis



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Vicarpurgicæ, fortiſsimè victoriam vrgens, heros magnanimus concidit, non quidem arce occupata, ſed ita tamen auſpicijs Friderici II. Regis Daniæ, qui ipſemet obſidioni interfuit debellata, vt facilem ſuis victoriam certamq; relinqueret, Anni, 1569. die, qui Diuo Martino dicatus eſt, male fauſta Venere, ad coniunctionem Saturni, à quadrato ad Solem aſpectu refugientis, properante.

*Henricius Ranzouius*

Gerhardus Henrici Ranzouij Vicarij Regis filius anno 1580, quaſi mortuum ſe patri ſomno oppreſſo exhibuit, eo tēpore, quo in Palæſtinā, peregrinationū ſtudio, vt multorum populorum mores videret, & vrbes, ierat: Pater mœſtus, et multum plorans, optauit videre cadauer mortui filij: vidit, non autem viſus fuit ſibi videre ſuum filium: ſed alium: nihilominus tamen non minus luxit, ac ſi ſuus eſſet. Narrauit hoc in aula non paucis. Exacto biduo, fratris Pauli filium, ſuo cognominem, æquè ac hunc ſibi carum, noctu à nobili audit gladio transfoſſum, in ſingulari certamine, Otoniæ, anno ætatis ferè vigeſimo ſeptimo.

*Matrona nobilis,*

Matrona nobilis ſomniauit multum carnis crudæ in arcem ſibi afferri, ſequenti die patrui filius, adoleſcens magni animi, & belli non imperitus, gladio perijt ebrius.

*Adoleſcens*

Alius quidam adoleſcens, pius & bonus, ſomniauit è ſinu ſuo manum ſanguine plenam extrahere, ſequenti veſpere, à ſuo æquali & amico gladio confoſſus interijt. Vterq; caſus ante paucos accidit Fribergi, vrbe metallica Miſniæ.

*Stilpo.*

Stilpo Megarenſis (vt Eraſmus inter Apophtegmata retulit) cuius & contemtus rerum humanarū, quæ ludibria fortunæ ſunt, eſt celebratus, & Demetrij I. filij Antigoni hu-

manitas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

manitas atq; munificentia, in hunc memorabilis: in ſomnis iratum habere Neptunum viſus eſt, cui non Hecatomben immolaſſet, quod erat ſacrificium omnium maximum, ſiue ἑκατὸν βοῶν ſiue ἑκατόμποδῶν, à centum bobus, aut pedibus appellatum, nihil trepidus, Quid ais Neptune, Itáne uelut puer huc veniſti cum tua querimonia, quòd non pecunia mutuo ſumta videre ciuitatem expleuerim? Atqui pro rei & facultatum modo apuas aliquot (ſunt ij piſciculi molles et viles, de quibus Geſner.) ſacrificaui. Arridens Neptunus. dextraq; data ingentem ſe apuarum vim Megarenſibus daturū promiſit: itaq; ferunt eueniſſe.

Morbi vates fuit ſomnium Cornelio Ruffo, qui alijs eſt Ruffinus, conſuli cum Manio Curio anno V C. 464. quem ſomniantem ſe cæcum eſſe, cæcum manè fuiſſe ſcribit Plinius lib VII. c. 50. de varijs morborum exemplis. *Corn. Ruf.*

Libertus Plinij Iunioris tonderi ſibi viſus mane, tonſus fuit.

Galenus Pergamenus medicus, æger ſomniauit, ſe audire vocem dicentis: ſi inter pollicem & indicem digitos ſanguinem miſſum hauſiſſet, vim morbi euaſurum: ſanguine miſſo & hauſto valetudinem recuperauit. *Galenus.*

De Methodio Cuſpinianus, qui vixerat temporibus Michaëlis cæſaris Conſtantinopolitani, ſic ſcribit, quòd duo viri viſi ſint attingere membra ipſius genitalia prurientia, & adurere tanto dolore, vt à ſomno excitaretur, & excitatus, illa tapida reperirit. *Methodius.*

Innocentia Mulier Carthaginenſis, cancro laborans mamillas infeſtante, in Paſchate, à fœmina primum obuia ad baptiſterium, iuſſa eſt in ſomnis baptiſari, & ſigno ſanctæ crucis ſignari. Nec fuit ſomnium irritum. Quorſum autem hæc *Innocent.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

tendant, rectè in religione Chriſtiana inſtituti non poſſunt non intelligere.

*Galenus.* Galenus de medendo cuidam ſplenetico curioſè inquirens, cum nusquam reperiret, quam viam inſiſteret, tandem dormiens viſus eſt ſibi venam mittere, inter digitos ægroti annularem & auricularem. Poſtquam euigilaſſet, re diligentius perpenſa, ne quid ſine ratione faceret, inciſa vena, morbo ſpleneticum liberauit.

*Eugenius IIII.* Ipſi Eugenio IIII. cui Nicolaus ſuffectus eſt, viri duo morbi leuationem & Pontificatum polliciti perhibentur.

*Mulier in flammatis mamillis.* E mammæ inflammatione de vita laborans mulier ab ouicula ſe putauit inter dormiendum exugi. Imponens parti affectæ herbam Arnogloſſum, cataplaſmatis modo, cui herbæ ab agni lingua nomen eſt, ſanata fuit.

*Mulier.* Mulier quædam opinata eſt ſe accerſere ad ſe chirurgum: die ſequenti veru oculum læſit.

*Bruno.* Bruno Henrici ſancti Imp. frater Antiſtes Auguſtanus membrorum vſum amiſit in ſomnis.

*Crus lapideum.* Quidam Crus ſibi alterum ſomnians factum lapideum, nox in ea parte paralyſi affectus fuit.

*Morſus à Cato.* Qui ſomniauerat, in crure ſe morderi à cato nigro: poſtera die in illa parte, cancro enato laborauit: Id de Arnoldo Villano vano, medico & Philoſopho acutiſsimo, qui & ipſe de ſomnijs ſcripſit, alij referunt.

*Morſus à Leone marmoreo.* Somnians ſe morderi à Leone marmoreo, in ingreſſu templi, eoq; vulnere lethaliter infici, die exorto, conſpectoq; Leone, æquali ſuo ſomnium iocoſè expoſuit, Leoniſq; faucibus manum inſeruit, addito ioco: Morde me. hoſtis, ſi potes, & interfice. Ex improuiſo ictu Scorpionis in Leonis faucibus latentis interijt.

Georgius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Georgius Fabricius, ex quo tempore primùm Apoplexia conflictari cepit, ſæpe in ſomnis nunc hanc, nunc aliam molem in caput ſuum incidere ſenſit. Et Venetijs (vixerat enim aliquot annos in Italia, Vuolffgangum, Philippum, Antonium Vuerteros, nobiliſsima familia Turingica natos, eò ſecutus) turri inſiſtere ad Diuum Mareum, quæ vnà cum ipſo in mare ſubita ruina deferretur. Hæc apopleſtiæ fuerunt præſagia, euentu teſte. *G. Fabricius.*

Periclem Minerua in ſomnis oblata medicinam docuit, qua hominem reſtituit, qui in Muſicis certaminibus delapſus ex alto pro depoſito habebatur. *Pericles.*

Ptolemæus telo toxicato vulneratus, cum graui dolore vehementer torqueretur, Alexander eius vicem dolens, dum fortè per noctem ægroto aſsidet, in ſpondam ſomno lapſus procubuit: Viſusq́; eſt illi draco, quem, quod ex eo grauidam ſe factam mater credebat, habebat in delitijs, radicem ore ferre ſalubrem, & humano more verba facere, caſtriſq́; proximum locum demonſtrare, vbi radix illa creſceret, qua à peſte ſeruari amicus poſſet. Rex miſit qui radicem inueſtigarent: Ea inuenta cum Ptolemæum tum alios ſagittis venenatis vulneratos liberauit exitio. *Alexander.*

1. De Diuinatio. Cicero: Quid Scamoneæ radix ad purgandum, quid Ariſtologia ad morſus Serpentum: quæ nomen ex inuentore reperit, rem ipſam inuentor ex ſomnio: Video, quod ſatis eſt: cur poſsit neſcio. *Scamonea Ariſtologia.*

Medicamentum contra morſus rabidi canis monſtratum in ſomnijs eſt, & contra ὑδροφοβίαν, vt ait Plin. lib. 25. c. 2, 101. agẽs de ijs qui apud populum Romanũ de herbis ſcripſerunt, *Miles pra*

& de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

& de Cynorrhodo & dracunculo: monſtata eſt autem radix ſylueſtris roſæ matri cuiusdam militantis in Prætorio, qui à cane rabido morſus in Lacetania, Hiſpaniæ proxima parte, iam incipiebat aquas expaueſcere.

*Auenzor.*

Auenzor Medicus, ex oculo laborans malè affecto, cui mederi non poterat, cum medico, multo ante defuncto, tanquam viuente in ſomnis loquens, remedia didicit, quibus vſus morbi moleſtia fuit liberatus.

*Franciſcus petrarcha*

Franciſcus Petrarcha de vita amici dubius, ægritudine laſſus, cum obdormiſceret, in quiete vidit amicum dicentem: Non poſſe ſe amplius eius conſuetudine frui: accedere autē quendam ad cubiculum, à quo ſi adiutus eſſet, morbum ſe euaſurum. Accedit ad Petrarcham vnus medicorum, qui ægrotum pro depoſito reliquerat, vt Petrarcham conſolaretur, rogatu huius ad curam ægroti reuerſus medicus, eum ſanitate, de qua deſperarat, reſtituit.

*Melanchthon.*

Annos viginti mortem, qui eſt annus quadrageſimus, horribili morbo oppreſſus eſt Melanchthon, qui tantum ex animi dolori ortus fuerat, quem aliena illi audacia attulerat, in itinere, quo Haganoam ad Rhenum, vbi Theologi colloquuturi erant, de quibusdam capitibus controuerſis, iturus erat. Hærebat ipſi in animo cauſa altè infixa, & ſomno monitus fuerat, de lethali morbo impendente. Cum autem vehementiſsimè ægrotaret ex cordis debilitate, poſt vſum epithematum ex coralliјs, quorum virtutem miram fuit expertus, datorum à Georgio Sturciade, Medico Erfurdiano, per quietem ei oblata eſt hæc ſententia: Non moriar, ſed viuam & narrabo opera domini. Breui poſt conualuit.

Ominatus eſt idem Melanchthon, mala annorum plurimorum animo ſuo diu ante, quàm euenirent. Nam de anno 42. ſic ſcribit: Hac nocte ſomniaui, vna ſedere Crucigerum,



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Suauenium, Blarerum & me: ibi ego iſtis valedicens ac neſcio quo abiturus, commendo rem publicam, inquiens, Vereri me futurum, vt regnum Dei eripiatur his gentibus, & tradatur genti facienti fructum.

Anno 51. V. Non. Maij: Somnium mihi denunciauit βούδορα ἤματα. Nam hæc verba audiebam allatura eſſe paroxyſmum. Continuatum eſt illo anno concilium Tridentinũ: ſecutum bellum inter Carol. v. & regem Gallicæ, atque huic confœderatos.]

X. Cal. Ianu. Anni 32. Huc nuper allata fama eſt, Duregum captum eſſe ab Hiſpanis, & Cinglianorum octo millia cæſa eſſe etc. Sané caſus miſerabilis eſt, & vidi ſomnium horribili ſpecie. Erat teſtudo quæ paulatim creſcebat, & accipiebat draconis formam, hic intumeſcens crepabat, interim ſtridens horrendum, ſicut rotæ nouæ ſtridunt. Aderant autem percuſſores, qui feriebant draconem, poſtquam crepuiſſet. Et paulatim ſe aperiens draco, cadauer humanum continebat, quod totum ſanie taboque plenum erat, & cum videret ſibi moriendum eſſe, faciem tegebat, pelle à capite ſuperficiem retracta. Sic experrectus ſum. Mira iſta imaginum confuſio, rerum ſcilicet maximarum perturbationem indicat. De qua tamen nihil opus eſt ſomnijs, cum ſit illa ante oculos. *Idem.*

Paridis ſomnio nihil eſt apud Poëtas decantatius, & apud cæteros, referentibus id Darete Phrygio lib. de excidio Troiano, Dictij Cretenſi lib. 2. Eurypide in Hecuba, Lycophrone in Caſſan: Qui in Idæ montis venatione ſopitus ad ſe vidit adduci, Mineruam à Mercurio, quæ polliceretur illi ſapientiam: Iunonem quæ regnum & diuitias: Venerem, quæ cum formam, tum forma dignam vxorem. Volebant autem ſingulæ pro ſe ferri ſententiam de pulchritudine. Pro- *Paris.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

nunciauit pro Venere Paris, & coniugio quidam potitus eſt venuſtæ Lacenæ, ſed tàm ſibi quàm patriæ exitioſo. Cratinus argentei templi præfectum ſe imaginatus, argento regio præfectus eſt.

*Cratinus.*

*Theodectes Fragicus.*

Ibidem refert Ariſteas (quod tamen non eſt ſomnium, ſed pœna prophanitatis, vt & præcedens) Theodecten Tragicum, quòd lege Diuina comprehenſa miſcere cum fabulis voluiſſet, viſu priuatum. Memoratur priori non diſsimile euentu, ſed fine diſpar, ad ſtabiliendam impiam Ethnicorum idolomaniam, de Numenio Philoſopho, qui ſacra Eleuſinia interpretando cum diuulgaſſet, deas habitu meretricio, in fornice præſtantes, in ſomnis vidit. Cui cauſam rei interroganti, iratas Deas eſſe, reſpondetur, ab ipſo proſtitutas, & pudicitiæ adijto vi abreptas. Eadem ſacra ſe prohibitum in hiſtoria ſua prodere, ait Pauſanias.

*Theopompus.*

Ptolemæus Philadelphus Rex Aegypti, vocatis ad ſe magnis policitationibus, conceſſu Eleazari ſummi pontificis, ſeptuaginta duobus interpretibus, verſione abſoluta & perlecta, miratus eſt mentem legis latoris, & ſapientiam, Dixitq; Demetrio, bibliothecæ, in qua libri aſſeruabantur ſupra μυριάδας εἰκόσι, vt inquit Ariſteas, Quî factum fuerat, vt nullus hiſtoricorum & poëtarum, rerum tantarum mentionem faceret. Cui Demetrius: Quia pura eſt & ſancta hæc legislatio, & à Deo ipſo edita & promulgata. Et eorum quidam, qui id aggredi ſuſtinuerunt, diuinitus percuſsi, ab irrito conatu deſtiterunt. Etenim de Theopompo id auditum affirmant, quòd, cum ſtatuiſſet temerè, ea quæ Deo autore & promulgatore publicata ſunt, ex lege diuina hiſtorijs inſerere, & diuulgando profanare, plus triginta dierum amentia & confuſione mentis fuerit correptus.

Qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Qua nonnihil remittente, Deo placato, qua de cauſa id accidiſſet, rogatus certò ſe cognoui ſomnio, dixit, quòd pœnam auſus temerarij luiſſet, qui diuina oracula ad profanos homines curioſè & audacter afferre tentaſſet. Poſtquam verò deſtitiſſet, ſanitati muentis reſtitutum.

Polycratis Samij Tyranni filia, patrem ſuum, ne ad Orœtem Sardium præſidem accederet monuit, quem hoſtem infenſum habebat duabus de cauſis, vel quòd obiectum illi fuerat à Mitrobate, quod inſulam ſuæ proximam non ſubigeret, quam vnus ex inſulæ popularibus, auxilio auſus quindecim armatorum occupaſſet, vel quod caduceatorem Oretis aſpectu ſuo dignatus non eſſet. Dehortata igitur ipſum eſt, ne Magneſiam iret: Somniauerat enim patrem ſublimem in aëre à Ioue ablui, à ſole vngi. *Polycratis filia.*

Non fuit fallax ſomnium. Nam Polycrates cruci eſt affixus; ab Ioue, qui eſt aër: & pluuia ablutus: à ſole, exundante pinguedine cadauere, vnctus fuit. Herod. lib. 3. Fuit autem crucis ſupplicium vſitatum olim: apud Pœnos in milites transfugas: apud Indos in puellas, quæ pudicitiam abieciſſent. Eo ſublati Tagus Rex Hiſpaniæ iuxta Silium Italicum: Hanno & Bomilcar duces Carthaginenſium, iuxta Oroſium: Polycrates, vt eſt apud Strabonem & Herodotum.

Pauſaniæ adductam ad ſe Byzantinam puellam, repugnantibus parentibus, interficienti, ἀδρασεία & νέμεσει diuina pœnam denunciauit, & violentæ iniuſticiæ conſcientia inter dormiendum conuicit, & reũ peregit, occinens illi σεῖχε δίκης ἆσσον, μάλα τοι κακὸν ἀνδράσιν ὕβρις. *Pauſanias*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Sophocles.* Sophocles furem, qui è fano Herculis vas aureum ſuſtuliſſet, Herculis indicio, in ſomnis iterum atq; iterum repetito, ad Ephoros detulit, nomine etiam expreſſo eius, qui ſacrilegium perpetraſſet, qui facinus confeſſus eſt, & templum Herculis Indicis inde nuncupatum. Noluit Diabolus ſuum cultum immunij, & tamen hoc quoq; conſtat à Deo punita Sacrilegia etiam inter ethnicos: quia etiamſi numina illi colerent falſa & inania, tamen ignominia, Deo vero, quam ſe venerari opinantur, cum abeſſent longiſsimè, inferri, credebatur.

Dionyſius Maior Marſiam quendam, quem euexerat, *Dionyſius.* & præfectura donarat, quòd viſus ſibi eſſet occidi ab eo per quietem, interfecit, exiſtimabat enim huius viſionis cauſam ortam à diuturnarum meditationum cogitatione. Suſpicio & crudelitas cædis iniuſtæ mater.

*Ptolemæus* Ptolemæus à patre in regno præteritus, à Seleuco rege Syriæ habetur humaniſsimè: Sed immemor meritorum, ſuum patronum crudeliter interficit ex inſidijs: Arſinoen ſororem viduam ambit ſimulatè, admiſſus eam Caſſandria eijcit, nepotes ex ea duos occidit. Crudeles ſequitur vltor à tergo Deus. Vocari vel ab amicis vt Plutarchus, vel à Seleuco, vt alij, in ius viſus ſibi eſt, cùm dormiret: deq; eo iudicandi arbitrium dari coruis, lupis, vulturibus, qui notam triſte per vrnam fecere arbitrium, & audita cauſa carnes paſsim dilaniatas diſtribuerunt.

Nec aberrauit à ſomnio exitus: Etenim victus à Gallis, duce Belgio, capite mulctatur: quod lanceæ affixum per caſtra hoſtilia circumfertur, ad terrendos Macedonas, & cadauer feris alitibusq; devorandum proijcitur, anno regni ipſius primo. Non enim diuturna nec impunis eſt perfidia. Fuit autem is Ptolemæus, quem κεραυνὸν dixerunt; Seleucus verò,

à quo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

à quo numeri in Hiſtoria Maccabæorum computandi ſunt, ex autoritate Ioſephi lib. 12. c. 6. & cæterorum eius ætatis regum, facto initio à decimo quarto anno ab interitu Alexandri Magni: et is qui cum mari Caſpio Boſphorũ Cimmeriũ voluit coniungere, quæ deriuationes ſemper fuerunt fatales eas tentantibus, Demetrio, Cæſari, Caligulæ, Neroni, Carolo Magno, Cnidijs Turcis.

Hannibal columnam auream, quæ erat in fano Iunonis Laciniæ, cum terebrando ſolidam inueniſſet, auferre volens, ne id faceret, prohibitus fuit: minitante Dea dormienti, ſi id feciſſet, ſe curaturum, vt eum quoq; oculum, quo benè videret, amitteret: idq; ab homine acuto non fuit neglectum. *Hannibal.*

Eſt hoc eiuſdem farinæ cum ſuperiore de Sophocle, itemq; de templo Iunonis ſoſpitæ quod L. Iulius, qui cum P. Rutilio cos. fuit, de ſenatus ſententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ ſomnio, Marſico bello.

Ariſtodemus Rex Meſſeniorum iturus iam in prælium & extrema tentaturus pro patria, cuius omnia in peius ruere & retro ſub lapſa referri, vt deceptus mendaci oraculo filiam Dijs genijs ſexennium antè mactauerat, poſtularat enim oraculum immolari ex Aegyptidarum genere virginem, ſic futuros victores Meſsenios aduerſus Lacedæmonios, ita ſomnium habuit euentu triſte & calamitoſum. Nam pullatam filiam, & nudato pectore vulnera oſtentantem, vidit tum extra menſæ impoſita, diſijci & turbari: ſeq; donari corona aurea, & veſtibus albis. Meſſenij autem cadauera melle condita ſepelierunt, optimates verò coronatos, & candida veſte inuolutos extulerunt. *Ariſtodemus.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Seuerianus* Seuerianus, quem Plinius in Epiſtolis virum nominat exactiſsimum, cum Philoſophicis ſtudijs ſe abdicaret, animo ad forum & rempub. conuerſo, Videbatur ibi cacumini montis haud ſecus ac currui inſidere ac montem velut agitare. Acceſsit ad Rempublicam, ſed ſydera infauſto, occiſus tandem ætate ferè decrepita.

*Ludouicus Imp.* Ludouici Cæſaris qui cum Friderico Auſtriaco de Imperio nomen fere annos contendit pater, eiusdem cuius filius nominis, occiſa coniuge ſua Maria Brabantina, Diuæ Elizabethæ conſanguinea, ob falſam ſuſpicionem turpis conſuetudinis cum milite quodam nocturna viſione totus vna nocte canus factus eſt.

*Paganus.* Culmariæ, pago Cherſoneſi Cimbricæ (hanc autem eſſe Holſatiam tàm ſcriptorum recentiorum conſenſus, quã veterum autoritas aſtruit) quidam rei familiari intentus & domus ſtudioſus, ſed coniugio infelix, cum vicinis ſub crepuſculum, cœlo ſudo & ſereno, nocte ſubluſtri, in ſyluam abiturus, vbi ſaginabantur porci, inter eundum malè habere cepit: Domum mihi abeundum eſt, inquit comiti, tu igitur ne graueris domum agere pecus meum. Ad ædes ſuas veniens, eas occluſas reperit, & quieta tacitaq; omnia. Conſueſcebat autem vxor cum ſeruo, ſuſpecta hoc nomine marito. Ira itaq; plenus, ſuſpicione æmulationem inflammãte, oſtium pulſat vehementius, & aperiri actutum mandat. Mœchus lecto relicto aufugit, & beneficio tenebrarum euadit. Adultera vix tandem fores aperit, & crimen marito intendit neglecti pecoris, cum ipſa proſtituiſſet pudorem improba. Maritus varia apud animum verſans, & morbo cuiusq; laſſus, vbi obdormiuiſſet, ab adultera, mœcho miniſtro, iugulatur, cadauer ſacco inſuitur, & terra conditur ſub aggere ab ædibus longè remoto. Vxor aridis vix vi extortis lacrymis, voce

lamenta-

lamentabili quiritatur, domumq; & plateas omnes diſcurſando & vlulando fatigat, ſuum ſolius virum non reuerſum. Sed Deus qui, vt in Βατραχομυομαχίᾳ (ſiue Homeri, ſcripta ab inſulani cuiuſdam in Chio inſtituente filium, ſiue Pigris, fratris Artemiſiæ reginæ) Muſculus inquit ἔχει ἔκδικον ὄμμα, non eſt paſſus latere hoc tantum ſcelus: Nam ſecundum Pindarum εἰδ α. ὀλυμπ: εἰ θεὸν ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων, ἁμαρτάνει. Itaq; pagano cuidam, qui equis paſtum ductis dormiebat ſub curru, appetente aurora, eo loco vbi cadauer erat, apparuit, os & faciem interempti referens imago: Qui rogatus, cur ſerius domum rediret, acceptaq; fide, morem geſturum ſomniatorem poſtulatis, Adulteræ, inquit, coniugis, & mœchi ſcelere hîc ſum terra obrutus, hoc vnum fratribus meis ſignificari volo: cætera magiſtratui politico committo. Domum ſomniator, die orto repetit, ſed, quod audierat, fratribus defuncto aperire, metuit, vel deluſum ſe exiſtimans nocturna imagine, vel odium veritus: Verùm veſperi recumbens eandem imaginem corâm aſtantem habet, quæ viſa ipſum arguere perfidiæ, ſolue fidem, dixit, & noſtræ cædis nuncius eſto fratribus meis quia ab adultera cæſus ſum. Etſi enim cadauer meum vxor tranſtulit aliò, facinus tamen non latebit: tu fratribus dux eſto, tibi nigra catella. Sole exorto audacter fratres adit, viſum aperit: itur, foſſa eruitur, corporis veſtigia & ſigna conſpiciuntur, corpus ipſum nuſquam apparet: apparet autem nigro colore catellus, pedibus terram diſijciens, & cadauer indicans, Tum is, cui ſe obtulerat ſomnium, cum ſtupore ait: Hic canis eſt, quem in quiete videram, hunc indicem ſequemur, & ducem. Cadauer effoditur: Mœchus ſtadium infugiens, ſupplicio capitali eſt affectus, adultera Crempæ, præfecto tum temporis Nicolao Ranzouio, Accidit anno 1560.

Cùm

Cũm in Perſis ſacra ſolennia, diesq́ feſtos inſtituiſſet Cyrus, ſomno correptus, viri humana ſpecie auguſtioris vocem audiuit: Accingere Cyre breui abiturus ad ſuperos. Nõ procul abeſſe vitæ finem ratiocinatus, hoſtias cepit, & Ioui patrio, Soli, aliisq́ diis in cacuminibus, qui Perſarum mos eſt, ſacrificauit, rebusq́ regni compoſitis, ſecundum Xenophontem placida morte obiit.

*Cyrus.*

Simonides, is artis eſt, memoriæ pollicitator Themiſtocli II. de Finibus, Cæus, Poëta Melicus, non ſolum ſuauis verum etiam cætero qui doctus, ſapiensq́, vt eſt I. De N. D. inter nauigandum ad locum quendam aduectus, cadauer inuentum, ritu ſolito honeſtẽ ſepeliuit, extremo honore præſtito. Imago & vmbra defuncti, aſtans nauigaturo Simonidi, ne nauigaret, diſſuaſit. Surgens ille ſuum ſomnium communicauit cæteris: at nautæ illi fidem non habentes, & ſomnii vanitatem irridentes ſoluerunt: Sed ipſe ſubſtitit: Illi orta tempeſtate, & facto naufragio, perierunt: Simonides incolumis Epigrammate conſcripto, memor beneficii, rem geſtam æternitati conſecrauit.

*Simonides.*

οὗτος ὁ τοῦ Κείοιο Σιμωνίδεω ἐστὶ σαώτηρ
ὃς καὶ τεθνηὼς ζῶντι παρέσχε χάριν.

Hæc Scholiaſtes in Miltiad. Ariſtidis, ad illud: ὥσπερ οὖν Σιμωνίδης εἰώθει τιμᾶν μὲν τοῖς ἐπιγράμμασι. Iſaacius in Lycophronem hinc deſumptum habet prouerbium: ὡς ὁ νεκρὸς ἐκεῖνος ὁ σωτὴρ Σιμωνίδου: Non defunctus monuit Simonidem, ſed Deus, ab interitu hominem miſericordem, & dolentem humanas miſerias reuocauit, qui etiam in ethnicis virtutem probat, & beneficentiam remuneratur.

*Themiſtocles.*

Dormiens in meridie Themiſtocles à Matre Idæa Cybele

bele iuſſus eſt vitare Leonis caput, & videre, ne Leonem haberet obuium, Dea petente ſibi imitari ancillam Mneſiptolemam. Parabantur autem Themiſtocli inſidiæ à Piſidis, conductis, vt in oppido Leontocephalo pernoctantem opprimerent, & incautum ex improuiſo obtruncarunt. Declinauit igitur à via regia, oppidumq; alia circuitionne prætervectus nocte conſedit. Interea à quibuſdam Piſidis quæritur Epixiæ Perſæ artibus, occidendus: qui aulæa à ſeruis Themiſtoclis, ad ſiccandum ad ſolem explicata violenter invadentes, Themiſtoclis ſe tentorium inuadere ſunt opinati. Liberatus Themiſtocles periculo, Magneſiæ templum Dindymenæ condidit, eiq; filiam ſuam Mneſiptolemam ſacerdotem præfecit. Huius ſomnij finis eſt conſeruatio ſacrorum Deorum ethnicorum.

Cum Euagrium, Gregorij Epiſcopi Nazianzeni diſcipulum ſenator quidam Zelotypus intelligeret, ſuæ vxori, plus æquo familiarem, mortem ipſi intentabat. Vidit autem in ſomnis quaſi criminis reus eſſet peractus, ſe deprehenſum, ferroq; manibus ac pedibus vinctum ad ſupplicium trahi. Quo facto, quidam Euangelium protulit, & tum vinculis ſoluendum promiſit, ſi Conſtantinopoli excederet: Ille iureiurando promiſit ſe facturum, tacto Euangelicæ hiſtoriæ libro, & vinculis ſolutis experrectus, pericula ab Arianis impendentia declinauit, venitq; Hieroſolyma. Tripart. 8. c. 1. Factum eſt D. Hieronymi tempore, circa annum 390. *Euagrius.*

Griſino dormienti numeroſus aprorum grex (vt ſcribit Richardus Stainhurſtius in rebus Hibernicis) viſus eſt agreſti & ferina immanitate ſummaq; impetu ferri hoſtiliter in Mauricium & Hugonem. Inter cæteros verò apros vnus, vaſtitate corporis, ictu oris, grunnitu horribili, dentibus *Griſinus.*

acutis, ira rabioſus, eos inuadens, eminebat, ictum intentans, & lanienam: ceſsit tamen interueniente eo, qui ſomniabat, venabulo confectus. Griſinus ſomnio exterritus, nihil ſibi angurabatur, niſi triſte & exitioſum. Verum perperam, nam ſomnio deceptus eſt, Inſidiæ enim ab Ozorcio Hugoni & Mauricio ſtruebantur, quas Griſinus, ſomnio admonitus, præuiſas anteuertit & diſsipauit.

*Mediolanenſis.* Mediolanenſis quidam, anxius, & quo ſe verteret, incertus, quandoquidem ad ſoluendum â debitore admonebatur, quod pater bona fide ſoluerat, accepto etiam Chirographo: vidit per quietem vmbram patris, monentem, vbi apochen, qua creditor ſibi ſatis factum teſtatus fuerat, eſſet inuenturus, &, vt geſta res eſſet, ordine exponentem. Somno pulſo, rem ita, vt viderat in ſomnis, ſe habere cognouit, idq; ab ipſo Auguſtino viſum, eſt memoriæ proditum.

*Alexand.* Somnio ſi paruiſſet Alexander, non in tantos animi luctus incidiſſet, interfecto Clito, viro optimo: Videbat enim per quietem Clitum familiarem ſuum, ſuæ nutricis filium à quo in prælio ſeruatus fuerat inter Parmenionis filios, qui omnes extincte erant, pulla & lugubri veſte, triduo antequam Clitum, indignè ferentem aulica in victos Perſas ludibria, & iocos probroſos, vino & ira incenſus transfoderet. Adeò hanc cædem doluit Rex, vt inedia & violentis manibus vitam ſibi adimere decreuerit, vixq; amicorum conſolationibus, affirmantium iure cæſum Clitum, erectus fuerit. Vitæ finem adeſſe animus nonnunquam præſagit: & heroes nonnulli præſenſerunt, diuino etiam accendente inſtinctu.

*Philippus Melanch.* Oblata eſt Philippo Melanchthoni xv. Cal. Maij, vox

Diui

Diui Pauli: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* idq; ipſi iterum euenit XIX. Aprilis, ſomnos habenti tenues. Conqueſtus autem erat illa nocte, doloremq; ſuum conteſtatus, ortum ex iniuria quorundam, à quibus fuerat, grauiter exercitatus. Profectum igitur fuit partim ex diurnarum meditationum cogitationibus, partim felicem exitum ſignificauit omnium difficultatum, quibus afflictus fuit tota vita.

Anno 1547, IIII. Cal. Martij mortuæ filiæ ſpeciem vidit per quietem Philippus Melanchthon, quo ſomnio ſignificatum triſtem caſum non dubitauit: itaq; euenit. Nam Anna ipſius filia, Georgij Sabini Poëtæ & Iuriſconſulti coniunx, ea ipſa nocte e viuis exceſſerat Regiomonti in Pruſſia, anno coniugij XIIII. *Idem.*

Memini cuidam offerri ſomnium huiuſmodi I. Auguſti anni 84. Vrſa, pilis argenteis inſperſis, ſeſe viſa eſt ſublimis attollere, & de pyro pendere pedibus anterioribus, vultu à ſtipite auerſo, ramumq; de quo pendebat concutere: Hinc ſeſe demittere, & per longas ambages illum accedere. Tum is, cui occurrebat, nonnihil metuere: at illa póſt blandiorem vultum præ ſe ferrre: Etiamſi autem, res, de qua agebatur, iam canis conſperſus, durior primum & iniquior póſt verò id, quod poſtulabatur, impetrari à ſe paſſus eſt facilimè. *Quidam.*

Cyprianus habuit ſomnium de Chriſto ſedente, & inimico tendente retia, & inſidiante ipſi & ſanctis eius. *Cyprianus.*

Cum Iohanne Chryſoſtomo patriarcha Conſtantinopolitano ſimultates Theophilo (vt eſt Tripar. 10. c. 4.) ſucceſſori Tim. (de quo Tripart. lib. 9. c. 22.) in Eccleſia Alexan- *Cyrillus.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

drina interceſſerunt. Eas Cyrillus ex Theophili fratre natus (Trip, 10. Cap. 25:) qui Theophilo ſucceſsit, & primus inter Epiſcopos Alexandrinos iure Sacerdotij ad dominationem & tractationem alienorum negotiorum cæpit abuti, quaſi hæreditario acceptas, exercuit, ſed tandem ſomnio meliora ſubijciente depoſuit.

*Monica.* Monicæ, ploranti & de filij ſui ſalute, in hæreſi Manichæa obſtinantè pertinacis ſollicitæ, iuuenis apparuit vultu hilari & veſtitu candido, quærens cauſam cur fleret: Cui illa, Flere ſe exitium & interitum filij ſui, qui ſit addictus ſectæ Manichæorum. Bono, inquit ille, eſto animo, & noli flere, quia vbi tu, ibi ille. Læta ſpe conuertendi filij, ſomnium ſuum filio exponit, habitum pro oraculo. At ille Cauillo eluſit, Non eſſe ab illa rectè acceptum: Ita enim prolatum, Ibi tu, vbi ille: Hoc nihilominus ſomnium mirificè animum Auguſtini perculit, & mater perſtitit in ſententia, neq; ſpes fuit inanis. Memor enim eius, quod audiuerat ex Epiſcopo: Non poſſe fieri, vt filius periret, cuius cauſa tot lacrymæ profuſæ fuiſſent, Exaudita fuit, & columen atq; ſingulare lumen veræ Eccleſiæ Dei, ſuum conſpexit filium.

*Iohannes Hyrcanus.* Iohannes Hyrcanus, Alexandri Ianni pater, ſomnium ſecutus Dauidis regis ſepulchrum aperuit, & talentorum tria millia, hoc eſt, octodecim auri tonnas inuenit.

*Guntramus.* Guntramus Rex Aurelienſis in Gallia, Lotharij filius, frater Hilfrichij in montis cuiusdam ſpecu, theſauros inueniſſe dicitur precioſiſsimos, ſomnio admonitus, quos in ſinu armigeri ſui dormiens, ad riuum ſibi viſus erat, ferreum pontem dum tranſiret, reperiſſe: Cum ex ore ipſius exeunti animalculo exiguo, & flumen traijcere tentanti, armiger gladium ſuppoſuiſſet, vt vicem gereret pontis.

Somnia-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Somniauerat quidam, ouum ſub lecto abſcondi: Quid ſignificaretur cùm interpretem conſuleret, theſaurum ibi repoſitum interpres reſpondit, ex auro & argento: quorum illud vitello, hoc albumine indicaretur. Ouum ſub lecto.

Et ſic habuit. Cum verò interpreti honorarij loco partem argenti obtuliſſet, nihil autem auri: Tum ille, Heus nihil de vitello. Habet hoc Eraſmus inter Apophthemata varia, Apoph. 89.

Refertur in explicatione Prouerbiorum Germanicorum ſomnium cuiuſdam, qui inter dormiendum viſus ſit ire in pontem Ratisbonenſem, opes ibi inuenturus. Gerit morem genio & animæ fortunam lautiorem præſagienti. Iamq; hebdomas vna atq; altera præterierat, dum in ponte hinc inde vagatur: Interrogatus à ſplendido & locuplete mercatore, quid iſtic locorum ageret: eo loco ſibi promiſſas diuitias, reſpondit, per ſomnia. Quid, ſomnia narras? mercator inquit, ſomnia nugæ. Somniaui ego quoq; ſub illa arbore, (arborem autem digito monſtrabat) ahenum reconditum pecuniæ plenum: Sed nihil mihi hanc rem curatio eſt. Haud ſurdo dictum, fodit, terram egerit, theſauri vim magnam inuenit, diteſcit ſomnium non falſum experitur. Quidam.

Paſtor quidam agri Venuſi (eſt autem Venuſium Apuliæ oppidum, ad Aufidum fluuium, patria Horatij Lyricorum principis) ouem ſomniauerat à lupo lacerari: eam filius ipſius mane illam ipſam ob cauſam ad gregem ablegatus dilanitatam inuenit.

Sebaſtianus Schefferus Aldenbergenſis (id oppidum eſt Misniæ conterminum Boiemiæ, metallis ſtanni fæcundum) anno 1570 die Diui Nicolai, Vuinshemij viſus eſt ſibi Sebaſtianus Schefferus.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

amittere annuſum de collo ſuſpenſum, cui inſertus fuerat Smaragdus: ita tum demum quod in itinere non animaduerterat, eius admonitus fuit ſomnio lib. v. Antiq. K. Dionij.

Iocoſum eſt ſomnium iſtius militis Prætoriani, qui cæteris vndecim, qui Leoni v. Imperatori Græcorum à cuſtodia erant corporis, dormientibus, aurum omne ſolus tulit. Poſteaquam enim omnes ſopitos animaduertit imperator, ſingulis auri libram appoſuit, vt, vnde eſſet aurum, admirarentur. Vnus verò militum, ſomnum ſimulans, contractis brachijs, & vultu prono, ſingulorum aurum ſibi vendicauit, & ſe quieti dedit. Interrogati ab imperatote, nunquid hilariores à ſomno fuiſſent, non modo nihil ſe reperiſſe affirmarunt, verumetiam ſibi timuerunt, quòd dormiuiſſent. Ratus imperator doloſè rem diſsimulari, minas addit, ni dicerent: Tum is, qui ſolus vigilarat, Quid, cæteri, inquit, collegæ mei viderint in ſomnis neſcio: mihi ſomnium oblatum eſt iucundiſsimum atq; vtinam ſæpius recurrat, Viſus enim mihi ſum quaſi non dormiens vigilare, dormientibus collegis meis, verè quidem ſed perquàm importunè. Tum quidam, tui non multum diſsimilis, ſingulis libram vnam auri apponit, & oſtio clauſo, clam ſe ſubducit. Quod cum reliqui non viderent, viſum ſcilicet tam pulchrum, ego aurum ſingulorum mihi adiudicari, neq; abſurdum duxi aut inconueniens, ſi libræ hæ duodecim, numero Apoſtolorum reſpondentes, quos ſemper ſancte ſum veneratus, coniungerentur: Eoq; facto, quieti redditus, hanc ſolertiam à duodecim Apoſtolis, mihi in ſomnò apparentibus audiui cum approbatione laudari. Tulit hoc ſomnio libras auri duodecim: reliqui exciderunt gratia, & deſidiæ pœnas luerunt.

Romam miſerat Tarquinius tempore obſidionis Fidenarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

ſtarum in Latinorum legatorum comitatu quoſdam, capita coniuratorum, deferentes ſecum aurum, in quos non facilè caderet proditionis ſuſpicio, qui largitionibus ciues corrumperent, & ſeruis ſpem libertatis facerent. Conſilium initur, vt capita cõiurationis loca munitiora occuparent, ſerui dominos interficerent, ædes diriperent, portas Tyranno recluderent. Sed & prodita eſt coniuratio conſuli Sulpitio, indicio duorũ fratrum Tarquiniorum M. & P. Laurentinorum, diuina, quadam vi expreſſo, cum eſſent coniuratorum præcipui. Etenim in ſomnis ipſis obuerſabantur ſpecies horribiles, pœnas atroces intentantes, vt â propoſito deſiſterent. Agitabantur â furijs, opinabantur ſe verberibus cædi, oculos miſerrimè tractatis effodi, vt nec ſomnum capere poſſent, aut ſi qua obdormiſcerent horrende ex terrore excitarentur, nec vlla arte aut conſilio liberari potuerunt. *Tarquinij legati.*

Ad virtutem ſe accendi, & Miltiadis trophæis excitari Themiſtocles reſpondit: Hoc partim ex diuruis cogitationibus, partim animæ ſeminibus generoſioribus. *Themiſtocles.*

Cicero vrbe pulſus â factione Clodij Tribuni plebis, ſpem reditus concepit, cum animo in ſomnum profuſo, in villa quadam agri Atinatis, per loca deſerta & regiones inuias vagatus, (Marium conſulatus ornatum inſignibus, ſecuribus, virgis, lictoribus, haberet obuium, & interrogantem, quid ita triſtis incerto itinere ferretur. Audito caſu eius & exilio, quo fuerat mulctatus præter meritum, dextra apprehẽſum proximo lictori in monumentum ſuum tradidit deducendum Marius, vbi lætioris ſtatus ſpes ſit ei repoſita: Eſt autem in æde Iouis Mariana, de eo reducendo factum ſenatus conſultum, & Cicero humeris totius Italiæ reportatus. *Cicero.*

Henricus Ranzouius reducem vidit Gerhardum filium

illa ipſa nocte, qua exacta, ex Hiſpania, reuerſus eſt anno 82. eiusq; reditum cæteris filijs prædixit.

Idem quoties ardere vidit Bredebergam, arcem ſuam, toties proſperioris fortunæ ſucceſſu fuit auctus.

*Antonius Eremita.*

Agens in deſerto vitam ſolitariam Antonius, cum grege monachorum non exiguo, tantos ſibi ſpiritus ſumſit, vt ſibi parem ſanctimonia nuſquam terrarum reperiri ſtatueret. Noctu verò audiuit ex angelo, Eſſe cerdonem Alexandriæ, â quo vitæ ſanctitate longiſsimè ſuperaretur. Surgens nondum planè pulſis tenebris, neſcit enim ſe cohibere faſtus fidens ſui, vrbem petit, & hoſpitio à Cerdone exceptus, quid hic ageret, attentè & curioſè obſeruat. Manè precibus dictis, opus laboris iniuncti aggreditur: eo perfunctus cibum ſumit, it cubitum, & reliqua facit officia domeſtica. Antonius, hæc vilia arbitratus, & nullius ſanctitatis, Tu, quid agis, inquit, ediſſere: non enim fortè fortuna huc pedem tuli: Sed instinctu diuino. Ad hæc ille: Illud ipſum, quod cernis: cubitu ſurgens Deo gratias ago ſeruatori, qui me à periculis nocturnis immunem præſtitit: hinc laborem capeſſo lætus & alacer, familiam doceo, moneo, obiurgo: die peracto, pro diurno victu & conſeruatione eidem Deo gratias ago, & quieti me trado: Cætera Deo omnipotenti & benigno committo, nec quenquam faſtidio aut deſpicio. Hoc ſibi cani Antonius intelligens, neminem ſpernendum didicit, ſuum cuiq; munus vrgendum, & in alios curioſè non inquirendum eſſe.

*Conſtantius*

Conſtantius Conſtantinopoli cum magno exercitu egreſſus Heracleam venit, eaq; nocte in ſomnis patrem vidit, Conſtantem patrem filium tenentem, & dicentem: En fratrem tuum Conſtantem, multis regibus oriundum, qui à Tyranno

ranno peremptus eſt. Eius necem vt vlciſcaris, tuum eſt: Si imperium ſaluum eſſe vis, nec rempublicam deleri. Quare ad euertendam tyrannidem accingere, neq; multum patere.

Incitatus nocturna viſione Conſtantius Magnentium debellauit, ſibiq; & imperio conſuluit.

Petrus Eremita Amienſis Gallus, cùm religionis cauſa Palæſtinam adijſſet, in ſepulcro Dominico dormiens, vigilijſq; & oratione fatigatus, ſomno eum complectente, Maieſtatem filij Dei conſpexiſſe ſcribitur, à qua iuberetur, vt accederet Simeonem Patriarcham Hieroſolymitanum, & acceptis literis ſub ſigno ſanctæ Crucis, ad vltionem ignominiæ, DEO & ſanctæ terræ illatæ, legatus exhortaretur Principes Chriſtianos. Quibus acceptis in patriam reuerſus, cum ingentibus voluntariorum & coniuratorum militum copijs iter ſanctum eſt ingreſſus: & occupata eſt vrbs ſacra: verùm haud paruo ea victoria ſtetit, & paucorum annorum fuit poſseſsio. *Petrus Eremita.*

Caupo in Actio Pontani: Ego quidem ſomnijs ipſis fidem vel maximam cenſeo adhibendam, quando noctibus his equos in boues ver[illegible], caſtaneas arbores abire vinarias in cupas ſomnians viderim, quid ſomnians viderim? Fictile miniſtranti mihi, aureum factũ qui ſenſerim? Mox monetarium ad Magiſtrum perlatum, in nummos fluere, aliumq; ex alio gigni, confeſtimq; in cumulum congeri, meq; ab eo cumulo obrui. De pace facta interpretatur, de qua etiam paulò ante dixerat: Saluus eſt Rex, ſalua patria, ſaluus eſt Alphonſus, qui ſalutem comparato exercitu, obſeſſa Roma nobis peperit. *Pontanus.*

Sannazarij ſomnium de Fernando Ianuario Neapolitano, qui creatus eſt abbas ab Innocentio VIII. huiuſmodi eſt: *Sannazari:*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Liber curis, cum pridie nec cogitaſſet de animæ immortalitate, nec cum amicis diſputaſſet, cubans in lecto & diutius quieſcens, circa ortum aurore, ſole oriente, viſus eſt ſibi videre, Fernandum, eo vultu quo viuus erat. Is Sannazarium, complexus perquam humaniſsime, ore, riſu, oſculo, An inquit, conſuetudinis me noſtræ oblitum rebare, et amicitię tam diuturnæ factum immemorem. Reducem igitur me vides vegetumq; & valentem, & amicorum haud immemorem. His dictis blandiuſculum ſubriſit, & pæne ſub lacrimatus eſt: quod euenit inter viuentes, ex longa peregrinatione reuerſos, mixtis contrarijs affectibus, ex memoria periculorum, & ineunditate præſentis læticiæ. Viſus eſt ipſemet Sincerus gaudere, & in lacrymas profundi: itaq; amicum amplecti, & ſimul vereri, ne, vt ſolet ſomniantib. euaneſceret: & multa per amanter colloqui, paucis tamē: Poſteaq; Fernādus diſcedere.

Caramundus regulus communi conſenſu dux electus à finitimis Maſsiliæ vrbis prope oſtiam Rheni, populis cū magno exercitu lectiſsimorū virorū Maſsiliam (ad cuius nomē delendum, veluti ad cōmune incendium, vicini concurrebāt, vrbis fama rerum geſtarum, & abundantia opum, & virium gloria virente florētis, vt inquit Iuſt. lib. XVIII.) obſideret, per quietem, ſpecie toruæ mulieris, quæ ſe deā dicebat, exterritus, vltro pacem cum Maſsilienſib. fecit, petitq; vt intrare vrbem, & Deos eorū adorare liceret, cùm in arcē Mineruæ veniſſet, conſpecto in porticibus ſimulachræ Deæ, quā per quietem viderat, repente exclamat illā eſſe, quæ ſe nocte exterruiſſet, illamq; recedere ab obſidione iuſsiſſe, gratulatusq; Maſsilienſibus, quòd animaduerteret, eos ad curam Deorū immortaliū pertinere, torq; aureo donata Dea, & perpetuam amicitiam cum Maſsilienſibus iunxit.

Pet. Loti. Petri Lotichij ſomnium eſt Po ticum de obſidione vrbis Magde-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Magdeburgenſis: Et Pontani ſomnio, quod recenſuimus, quædam ornamenti Rhetorici cauſa adhibentur: Sunt tamen eiusmodi, vt autoritate tantorum virorum demonſtretur, id quod volumus, eſſe quædam ſomnia præſagientia, nec omnium obſeruationem vanam aut impiam.

Tale eſt apud Eraſmum in colloquijs, perquam venuſtum & ingenioſum, de incomparabilis Herois Iohannis Reuchlini, qui Græca appellatione Capnionis inclaruit, ἀποθεώσει: quod vt, ad inſeruiendum argumento, fictum eſſe non dubito, ita quid vir doctiſs: & eloquentiſsimus de ſomnijs ſenſit, palam facit, Viſus eſt autem ſibi Braſsicanus conſiſtere in ponte, quò ibatur in pratum amœniſsimum, cùm, omnia citra riuum poſita triſtia viderentur atq; mortua. Præteriens Reuchlinus Braſsicanum, eum ſalutat Hebraicè, & ſe adiri ab ipſo vetat, Quinto, inquit, anno nos ſequêris. Reuchlinus, veſte Damaſcena, eaq; candidiſsima indutus, quæ picta erat triplici colorum varietate, liguas totidem, quarum erat gnarus, deſignantium: ponè habebat puerum alatum, vultu pulcherrimum: à tergo eminus ſequebantur aues, picarum inſtar verſicolores, at vulture nihil grandiores, criſtatæ, vnguibus aduncis, ventre prominente, infeſtantes Reuchlinum, quæ abactæ fœtorem reliquerunt teterrimum. Interea ad pontem accedit Hieronymus, & Reuchlinum veſte donatum, ſalutat, qua conſortium cœlitûm adiret: ipſe autem veſte erat ad thalos vſq; demiſſa, & chryſtallo pellucidiore, vultuq; amœno: Totusq; aëer plenus angelorum. Hieronymus complexus Reuchlinum, in medium prati adduxit, vbi collis prominebat. Et ſeſe mutuo oſculati ambo, columna ignea quidem, ſed non terribili, maieſtatem inenarrabilem è cœlo, magno cum hiatu explicante, atq; demiſſa, in cœ-

Braſsicanus.

lum ſubuecti ſunt, choris angelorum dulciſsimè canentibus, & ſequente mira odorum omnis generis fragrantia

Somnium Cardani eſt mirabile & varium lib. xv. de
*Cardanus.* rerum varietate capite 87. Ei enim aſturco in ouem commutari videbatur, & ex oue aſturco rurſus fieri, Cum verò aſturconem conſcendiſſet, tutò ibat, & facile ferebatur : ferebat illum ouis etiam, ſed primùm ſanè difficulter, pòſt verò laſſata deſijt : atque ita inequitans ouem albam, fuit ſomno ſolutus, cum equus eſſet fuluus.

Interpretatur ipſemet hoc ſomnium, ſignificari alba oue, fortunam bonam, & nobilem : iter dubium & mutabile: minus lucri quàm olim, ſed abſque fraude : iter æſtiuum, ſed ſine plena animi ſatisfactione : Bellum eſt ſecutum occupatis Verællis à Gallo intra tres dies.

*Zariadres.* Coniugia fato fieri ne dubites, audi, quæſo, quæ refert Athenæus libro XIII. Δειπνοσοφ cap. XII. è Charetis Mitylenæi hiſtoriarum de Alexandro libro X. hunc in modum : Zariadres Hyſtaſpis frater natu minor, æque ac frater forma eximius de quibus indigenæ narrant, quòd ex Venere nati ſint & Adonide : Hyſtaſpes mediæ inferiorique regioni imperauit : At Zariadres ſuperioribus locis hoſtijs Caſpijs ad Tanaim vſque fluuium : Marathorum, qui vltra Tanaim ſunt, rex erat Homartes, qui filiam habebat nomine Odatim de qua ſcriptum in hiſtorijs reperitur, quòd cùm per ſomnium Zariadrem vidiſſet, eum amauerit, atque idem Zariadri ipſi acciderit, vt eius amore incenderetur. Seſe igitur inuicem mutuò amabant, & expetebant, ob phantaſiam & imaginem in quiete conceptam. Erat Odatis omnium fœminarum totius Aſiæ pulcherrima, & Zariadre pulchritudinis venuſtate non inferior.

Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Cum itaq; ſomnio incitatus, coniugem illam expeteret Zariadres, repulſam tulit, Nam Homartes puellæ pater, quandoquidem prole carebat maſcula, cuipiam ſuorum familiarium, quos ſecum habebat, filiam tradere nuptum decreuerat. Non diu pôſt regni proceres, amicos, propinquos conuocabat, nuptias filiæ celebraturus, diſsimulato tamen ſponſo, cui eam eſſet traditurus. Vbi vino animi incaluiſſent, Odatim filiam in conuiuium accerſit, & cunctis audientibus, Tuas, inquit, filia, nuptias hodie celebrabimus. Circumſpiciens itaq; omnes, phialam cape, eamq; imple, & ei, cuius uis eſſe vxor, porrige: illi enim tradêris. Flens omnes circumſpexit, at ſolum Zariadrem, cum ſuſpirijs crebrò geminatis deſideratum exoptauit: ei enim nuncium miſerat, qui de nuptijs futuris abſentem certiorem faceret. Zariadres verò è caſtris, inſcio exercitu, à Tanai vſq;, cum vnico venerat auriga, noctu profectus, & ciuitatem curru inuehebatur per ſtadia 800. Appropinquans verò caſtro, in quo nuptiæ celebrabantur, curru & auriga relictos, ſtolam induit Scythicam, & in aulam ſe contulit, Odatimq; ad thecam, qua pocula ſeruabantur, ſtatim offendit, phialam tarde, & manu inuita miſcentem, & lacrymis intercidentibus diluentem: Propiusq; ad eam ex improuiſo accedens, Adſum tibi, ô Odatis, ipſe Zariadres, quem ex optaſti. Illa ad conſpectum viri externi, & formoſiſsimi ei planè ſimilis, quem per quietem viderat, læta ta eſt & adoleſcens, porrectam capiens à puella Phialam, cum ipſa ſe clam ſubduxit. Serui & ancillæ, cognito amore mutuo, rem geſtam primùm diſsimulauerunt, poſtea verô, patre, vt inquireretur filia imperante, quo abijſſet, ſcire ſe negauerunt. Ritus autem iſte, de quo dixi, tradendi puellis maritum, vſitatus fuit, nam idem ſcribit Iuſtin. lib. 43. de Gy-

pti filia regis Segoregiorum Senani, qui cum electo inter epulas genero, nuptum tradere pararet filiam, hæc iuſſa à patre porrigere aquam ei quem maritum eligeret, omiſsis omnibus aquam Perano duci Phocenſium hoſpiti porrexit. Hoc verò coniugium celebre fuit per Aſiam, &, ſiue fabulam ſiue rem geſtam, in templis & aulis regijs pinxerunt atq; in priuatorum quoq; ædibus, & à puellæ huius nomine frequenter nomina ſuis liberis fecerunt.

Anna, regis Vngarici filia, Vuilhelmi Landgrauij Turingiæ vxor, quæ recens nata, inſignita perhibetur cruce aurea inter vtrumq; humerum, munificentia erga pauperes celebris, cum occluſa eſſet Ecchardisbergæ à marito ſuo, præferente illi Catharinam Brandeſteiniam, vna cum ancillis duabus & curatore viro bono, petijt ſibi dari poteſtatem conueniendi maritum, qui tum agebat. Roſslæ ad Ilmum cum pellice, Habuiſſe enim ſe in ſomnis obuiam maritum aiebat, blandè ridentem, ſperare igitur immutatum eius animum. Impetrat è præfecto copiam abeundi, & duci marito fit obuiam ſed peſsimè accipitur. Nam Sandalijs caput ipſi imminuitur, & colaphis cæſæ ſanguis effluit. Nequaquam enim, dux inquit, decet mulieres coniuges, vt iniuſſu mariti principis ipſum ſequantur. Fuit hoc ſomnium euentu contrarium.

Iohannes Fridericus Elector Saxoniæ ſomnium vidit huiuſmodi: Viſus ei eſt prandere in arce Torgenſi Carolus v. Imp. poſtularat autem ſibi afferri lagenulam cereuiſiæ plenam, & moram iniq; ferens, vultu erat inamæniore. Eo animaduerſo ad cochleam, qua in atrium deſcenditur, accedens Elector, vt obuium habet Henricum Schonbergium, aulæ præfectum, qui iam afferri potum nunciat, quod & accidit. Tum conſidens ad feneſtram dux literas accipit, reſignat, vi-

det

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

det vndequaq; prouincias & vrbes amiſſas, interq; cæteras Torgam imprimis excellenti arte, elegantiſsimiſq; coloribus exornatam, & eminentem : & præter illas, picturas plures alias: Quibus omnibus imminebat cœlum placidum, nubesq; ſerenæ & lucidæ, omniumq; artifex videbatur Lucas Cranachius pictor ille nobilis. Dum intueretur picturas, & iam lecturus eſſet literas, Auerſuvaldius veſtem ipſius leuiter trahens, legatos adeſſe ei nunciat ducentos è Boiemia. Ita ſomnium fuit interruptum. Quid ſignificarit poſtremum decennium Caroli v, & res eo tempore geſtæ indicant

Iuuenis quidam, eo ipſo in loco quo dormiens coniugij fidem dedit puellæ, eodem vigilans dedit.

Vidit in ſomnis puella quædam ſponſum, qui die ſequente venit, cum abfuiſſet per quinquennium, nec iudicio Eccleſiaſtico nec vlla æquitate ante illum diem, ad proſequēdum, legitimè inita ſponſalia cogi potuiſſet.

Ad condendas vrbes incitati ſunt ſomnio Alexander Magnus, C. Iulius Cæſar, Conſtantinus Magnus :

Alexander quidem, vt de ſuo nomine Alexandriam conderet & Coloniam Macedonum caput eſſe Aegypti iuberet, ſpacio ſeptendecim dierum. *Alexand.*

Iulius veró Carthaginem hac ratione : Eo tempore quo Pompeium perſecutus fuit in Aegytum, eo enim confugerat ad regem ex acie: & amicos Pompeij, qui in Africa receptum quæſiuerant, caſtris ad Carthaginem poſitis, in quiete vidit exercitum ingentem lacrymis vbertim fuſis plorantem : qua viſione territus, memoriæ cauſa, ne elaberetur, in codicillis exarauit, Carthaginem reficiendam. Itaq; Romā reuerſus, tenuioribus agros poſcentibus, partem horum Carthaginem, partem Corinthum mittere decreuerat. Sed morte præuentus fuit, Auguſtus veró his literis inuentis, Roma ter *Iul. Cæſ.*

mille

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

mille colonos miſit Carthaginem, cæteros ex finitimis ſuppleuit.

Conſtantin.M. cogitans de muniendis Romani Imperij prouincijs aduerſus Parthorum incurſiones, Ilium, quæ Troia eſt, olim â Græcis dirutum, voluit inſtaurare, ſed ſomnio locum monſtrante Conſtantinopolini, quondam Byzantium, extruxit, eoq; Roma cum imperijs ſedem, tum alia omnia ornamenta tranſtulit.

Nec ijs dedignata eſt anima in ſomnis addere calcar, ad excellenda ſtudia, qui amoris cognitionis & ſcientiæ tenerentur.

*Aeſchylus* Aeſchylus per quietem iuſſus eſt á Baccho, vt tragœdias ſcriberet. Hoc nihil aliud eſſe videtur, quàm vel animus, vel occulta vis ſyderum. Eſt autem Bacchus τριώνυμος qui in ſupero hemiſphærio ſol appellatur, in diurno Bacchus, in nocturno Dionyſius, vt inquit Macrobius, cui ſuffragari videtur Horatius: Bacchum in remotis carmina rupibus vidi docentem. Paruit Aeſchilus monitis Bacchi, & ſcenas perſonarum varietate & decore inſtruxit, antiquiſsimus inter eos, qui tragœdias ſcripſerunt: Poëta bonus & fortitudinis laudem in nobili illo prælio Marathonio adeptus, & ni conflictu ad Salaminem, & pugna pedeſtri ad plateas.

*Lyſander.* Et cum eſſet in Attica exercitus Lacedæmoniorum, Lyſandro duci dormiente Bacchus mandauit, vt conuenientibus in ferijs proſequeretur Nouam Sirena: hoc illum cognita morte poëtæ, de ipſo & poëmatis eius interpretatum perhibent. Sirenum enim cantus de oratione blanda & flexanimi dicimus: Dictus eſt autem Aeſchylus à ſuauitate orationis μέλιττα ἀττική.

*Socrates.* Platonis eloquentiam, ſibi nondum noti, & adhuc pueri, Socrates

Socrates præcognouit in ſomnis. Nam pridie quàm ad ipſum Plato adduceretur, ſomniauit pullum in ſuo gremio plumeſcere, & genibus inſidere, qui mox exortis alis in aëra ſeſe attollens ſuauiſsimos cantus ederet. Olor autem Veneri, quæ Venuſtatis Dea eſt, ab Athenienſibus erat conſecratus, & fertur ſuauiſsimè omnium canere, morti præſertim vicinus. Id augurium poſtea ad Platonem, cui aliâs nomen fuit Ariſtocles, Socrates tranſtulit, propter Atticum Platonicæ orationis leporem & grandiloquentiam: de quo Cicero, Iouem, ſiquidem loqui ei liberet, haud alio quàm Platonis ſermone vſurum dixit, vt non hominis ſed quodam Delphico videatur oraculo inſtinctus: lib. 3. Quintil. c, I. Et plerunque inſtinctis diuino ſpiritu vatibus comparandus, lib. 12. cap. 10.

Qualem verò gratiam præceptori retulerit, Athenæus teſtatur lib. XI. cap. XXII. Socrates cum Platonis in omnes ſuos diſcipulos affectum & animum nouercalem animaduerteret, omnibus præſentibus id conijciens, ſe per ſomnium vidiſſe dixit, quòd Cornix effectus Plato in caput eius inſiluerit, caluiciemque vellicarit, & circumſpiciens roſtro infixo tenuerit, Video te per multa, ô Plato, aduerſus caput meum mentiri. *Socrates.*

Poſt bellum Gothanum, geſtum ex decreto toties Imperij anno ſexageſimo ſeptimo, duce Auguſto Saxoniæ Electore, aliquoties ſe inquietari conqueſtus eſt Georgius Fabricius, ſomniantem morſus canum & equorum à quibus inter dormiendum non ſine terrore impeteretur. Pauci dies ierant, cùm domum rediens è templo Afrano die Solis, quo ſacra Synaxi vſus fuerat, literas accipit, Saxoniæ Electoris indignationis plenas, quibus ſignificabatur, delatum ad principem, quòd diſcipulis & alumnis ſcholæ prouincialis preci- *Georg. F.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

bus pro Electore, patrono ſuo munifico, bellum tunc adminiſtrante Imperij nomine ad Gotham, interdixiſſet. Tum ſortem ſuam indignam, & calumniatorum immanem impudentiam deplorans, oſtenſis literis miniſtro et amanuenſi ſuo: Hi ſunt, inquit, iſti morſus canum & equorum de quibus toties dixi. Euaſit tamen ex his pedicis, ſecundum Deum, bonitate, & æquitate principis prudentis, qui non paſſus eſt ſe transuorſum agi improbis calumnijs: & acceſsit viri nobilis & docti interceſsio.

*Socrates.* Apud Platonem in Dialogo de anima Socrates ſomnium refert tale, vt nos quidem conuertimus: Sæpe mihi occurrens annis vitæ præteritis idem mihi ſomnium, & alia atq; alia quidem ſpecie apparens, idem tamen ſemper dicens: Muſicam, inquit, fac & exerce, ô Socrates: Ego verò, quod antè egeram, ad illum ipſum faciendum me impelli, & crebris adhortationibus inſtigari arbitrabar, vt qui curſu certantes geminatis acclamationibus incitantur: Sic mihi hoc ſomnium idem vt facerem calcar addidit, ad exercendam ſcilicet Muſicam, tanquam philoſophiæ ſit princeps Muſica, & in hac ego exercitarer. Nunc verò poſtquam iudicium haberi cœptum eſt de meo capite, & Dei feſtum prohibet mori, viſum eſt conueniens, ſi mihi ſomnium præciperet, hanc popularem exercere Muſicam, ei parere.

*Socrates.* Idem in Dialogo Criton: Viſa eſt ad me mulier accedere, forma honeſta & liberali, albis veſtibus induta, meq; vocare & dicere: O Socrates: Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit, vt conuertit Cicero 1. Diuin. ἤματι μὲν τριτάτῳ φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

*Hippocrates.* De veritate, veraq; ſapientia ſcitum eſt Hippocratis ſomnium ad Philopæmenem: Coram vidit Aeſculapium, ad

portas

portas Abderitarum accedens. Deus erat habitu concitato et aſpectu horrendo, ſequentibus reptilibus varij generis longo tractu agminatim, & ſubinde ſibilantibus: Sequentibus etiam qui pixides gererent medicamentarias: Porrectam ſibi manum Aeſculapij Hippocrates apprehendit, & petit, vt ſe iuuet in medicando. Tum Aeſculapius fœminam illi adiungit ducem, forma atq; corporis dignitate præſtantem, ornatu decoro & ſplendido, veruntamen ſimplici ſanè & honeſto, oculis, ſtellarum inſtar, lucentibus. Illa Deo ex oculis ſe ſubducente, Hippocratem lento gradu accedit, manuq; blandè per vrbem ducit. Ad hoſpitium vbi perueniſſent, mulier illa diſparuit, hoc ſolum dicens: Cras te apud Democritum offendam, & interrogata, quæ eſſet, Veritatem ſe eſſe profeſſa fuit: & inter loquendum aliam ipſi monſtrauit, non quidem malam, ſed audaciorem aſpectu, ferocioremq; & concitatiorem, Opinionem nomine, cuius ſedes ſit apud Abderitas. Habitare autem dixit Veritatem apud Democritum, qui mente ſanus ſit: Opinionem apud Abderitas, quòd etſi ægrotet Democritus, medico tamen non indigeat, quod diſputauerat Aeſculapius. Erat verò is Democritus, qui rideret omnia, quæcunq; ſub ſole agerentur, miratus infinitam in omnibus rebus humanis inconſtantiam & vanitatem.

*Parrhaſius.* Parrhaſius pictor maximus, Epheſi natus, qui primus Symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venuſtatem oris, confeſſione artificum in lineis extremis palmam adeptus eſt, vt eſt apud Plinium lib. xxxv. cap. ix. ad eius ſimilitudinem, quem in ſomnis animo obuerſantem contemplatus fuerat, quantum potuit Herculem in Lindo pinxiſſe fertur, Athenæus 12. c. 21.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

C. Plinius in Epiſtola ad Cæcilium Marcum:

Compoſuit bellorum Germaniæ libros viginti, quibus omnia quæ cum Germanis geſsimus bella collegit. Inchoauit cum in Germania militaret, ſomnio monitus. Aſtitit enim ei quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſsimè victor, ibi perijt. Commendabat memoriam ſuam, orabatq;, vt ſe ab iniuria obliuionis aſſereret.

*Artemid.* Ad Apolline, qui patrio nomine eſt Myſtes in Daldia, ciuitate Lydiæ, impulſum ſe ad ſcribendum affirmat Artemidorus. Etſi autem eius libri quatuor ὀνειροκριτικοὶ non ſunt ineruditi, ſunt tamen planè ſuperſtitioſi. Sed quid aliud extra Eccleſiam veram & catholicam?

*Dion Caſs.* Dion Caſsius Niceæ in Bithynia natus, defuncto iam Antonio Romanorum Imperatore, agmen armatum in campis vidit patentibus, & Seuerum Antonini patrem, iampridem mortuum pro tribunali ſedentem, ſeq; proximè aſtantē iuberi cùm rectè accipere, quæ dicerentur, (concionabatur enim Seuerus) tum quæ agerentur, & eadem literarum monumentis transmittere ad poſteros. Ita enim de ſeipſo inquit: Dormienti mihi imperatum eſt diuinitus, cum librum de ſomnijs & prodigijs ſcripſiſsem, vt hiſtoriam conficerem. Quamobrem ea, de quibus nunc ago, ſcripſi. Reliquit autem Hiſtoriam Romam libris octoginta deductam per annos 981. vſq; ad annum conſulatus ſui geſtum cum Alexandro Seuero, à Chriſto nato 231: & res geſtas Traiani imperatoris, atq; his addidit vitam Arriani Philoſophi, & Gothorum Hiſtoriam.

*Philoſop.* Philoſophus de quæſtione obſcura interrogatus à Præſtantio, primùm ad quæſitum reſpondere recuſauit, ignarus ipſe rei de qua quærebatur: poſt vltrò reſpondit, inuenta ſolutione

lutione in ſomnis, cum animus ab actionibus & miniſterijs corporis liber, & perturbationum atque obiectorum obſtaculis, ſibi ſoli vacaret.

Ignatius, tertius à Petro Apoſtolo Antiochiæ Syriæ Epiſcopus, qui etiam cum ipſis vixerat Apoſtolis, vidit angelorum choros per antiphonias Sanctæ Trinitati hymnos canentium. Inde inſtituit modum canendi in Eccleſia, qui poſt ad alias Eccleſias promanauit.

Gennadio de animorum immortalitate hæſitanti, primum monſtrata vrbs eſt pulcherrima à iuvene quodam: deinde idem iuvenis nocte altera iterum apparuit, et an agnoſceretur, Gennadium interrogauit: Affirmauit Gennadius, noſſe ſe illum, & ſomnij meminiſſe. Iterum interrogatus vbi corpus eſſet, in lecto illud quieſcere dixit: Sicut igitur tum dormiens, clauſis oculis cernebat, ita defuncto homine, animam eſſe ſuperſtitem, corpore in ſepulchro quieſcente docuit. Hoc illud eſt, quod demonſtrauimus ſupra, in hac doctrina proponi ſubiectionem & imaginem de animæ humanæ immortalitate. *Gennadius*

Natales Theodori ſectator, eiuſdemque ſectæ Epiſcopus, Chriſto naturam diuinam derogantis, ſolum autem humanam relinquentis, vt ſententiam mutaret, aliquoties monitus eſt in ſomnis à Deo: at impij propoſiti tenax pulſatus ab angelo eſt, quas plagas & cruciatus cum ſentiret ad fidem redijt Catholicam. *Natale.*

De quodam cum ſuo, tum Accij Sannazarij amiciſs: Iohannes Iouianus Pontanus in Actio Dialogo ſcribit, cum ſæpenumero cum interpretandis veterum ſcriptorum libris hæſitabundus, non haberet, quid certi afferret, in ſomnis à *Interpres.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

genio nunc ſub imagine veteris cuiuſpiam Grammatici, nũc Poëtæ, nunc Philoſophi veritatis admonitum fuiſſe.

*Eob. Heſ.* Eobanus Heſſus, princeps poëtarum noſtri ſeculi, altè ſopitus, videre ſibi viſus ex omnibus rebus ad nauigandum inſtructum nauigium, etiam fune religato: tum incenſus cupiditate nauigium conſcendit, & fauſtam ſibi nauigationem precatus, verſum compoſuit:

*Da tandem fortuna viam, iuuat ire per altum.*

*Vuolffgangus Meur.* Vuolffgangus Meurerus Medicus vita integerrimus, quaſi diuinans animo eam, quam morum ſuauitate & doctrina eſt adeptus, celebritatem nominis, & exiſtimationis, hoc diſtichon in ſomnis compoſuiſſe fertur:

*Me leuis aërio perfuſum rore ferebat*
*Muſa, per æthereas, non ſine honore, domos.*

*Hierony. Cardanus.* Hieronymus Cardanus ſomnio animum vellicante, libros de Rerum varietate & ſubtilitate ſcripſit, iniecta etiam ſpe, ipſum eos ad finem perductos abſoluturum.

Quidam alius, ſubeuntibus animo inter dormiendum cogitationibus de iudicio extremo, in quo omnia elementa igni liqueſcent, hunc Iambicum fecit.

ἥδιστον ἐστὶ πῦρ τὸ τὸν χριστὸν φέρον.

Et alio tempore:

*Cum te fata vocant, quia mors tua ſanguine Chriſti*
*Victa iacet, vanos ne tibi finge metus.*

Nec tamen hîc diſsimulandum fuerit, deſideratum etiam nonnihil in his verſibus fuiſſe: nam prior ſic habebat.

ἥδιστον

ἥδιϛος ignis ἐϛὶ ὁ τὸν χρισὸν φέρων: In diſticho verò pro dictione prima, repoſitum fuerat aduerbium vbi, contra legem carminis. Nam hallucinata eſt anima, vel è diurnarum cogitationum reliquijs: vel quia nondum planè eſt mole & vinculis corporis exempta, etiamſi paululum eſt laxata, vel deniq; quia non parum infirmitatis ex lapſu primo contraxit.

*Philemon.*

Cum Antigonus Rex & Athenienſes inter ſe bellum gererent, & Philemon (fuit is vel Syracuſanus, ſeundum Suidam, vel Pompeopoli Ciliciæ vrbe natus, ſecundum Strabonem, Poëta nouæ comædiæ, ſiue vt Apuleius vult, mediæ paulò antiquior Menandro) domi cubans quieſceret, in ſomnis vidiſſe dicitur nouem puellas è ſua ipſius domo exeuntes: quas cum interrogaſſet, cur ſic abirent, illæ vero reſpondiſſent, ſe extra fores exituras, nec homini fas eſſe Deos audire: tum ille ſomno experrectus, puero narrauit ſomnium, quæ audiſſet & quæ vidiſſet, fabulamq; quam tum in manibus habebat, abſoluit: cumq; rurſus lectum conſcendiſſet, & reſupinus in modum dormientis cubaret, expirauit. Qui verò ei aſsiſtebant, tam diu eum dormire opinati ſunt, donec detectum, mortuum repererunt. Quare, inquit, cognitum eſt, eum dum viueret, à Muſis amatum.

*Matthæus Dreſſerus.*

Matthæus Dreſſerus medicus ſomnia duo recenſet: quorum primum eſt huiusmodi: Se diuturnis calculi doloribus grauiſsimè conflictatum, nec quicquam aliud optantem, quam diſceſſum ex hac vita, in ſomnis vidiſſe aduentantem in nubibus filium hominis, ſpecie humanitatis & oblectationis adeo plena, vt ad ſenſum illa penetraret, & deſiderium ſui ingens ac perpetuum in animo relinqueret.

Iterum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Idem.* Iterum ſecundum quietem videre ſibi viſus eſt currum cœleſtem, qui illum exceptum, & in cœlum ſubuecturus eſſet.

Non etiam defuerunt dignitatum vel acquirendarum vel amittendarum ex ſomnijs præſagia, quæ ab ipſo euentu fidem inuenerunt.

*Matthias Pontifex.* Cum Matthias Theophili filius, Hieroſolymitanus, Simonis in pontificatu ſucceſſor, ea nocte, quæ diem ſolennis ſacrificij antecedebat, viſus eſſet ſibi muliere conſueſcere, fungi munere poſtridie, ei nefas fuit, delatumq́ id cognato ipſius Ioſepho Elemi filio.

*Theod. I. Theodorus 1. c. 6. 7.* Theodoſius poſtea Imperator, ab Meletio, iturus contra barbaros auſpicio Gratiani, paludamentum in ſomnis imaginatus eſt ſe accipere & coronam: à Gratiano bello feliciter confecto ſucceſſor conſtitutus, conuocata ſynodo Nicea, Meletium Epiſcopum nemine monſtrante agnouit, qualem in ſomnis conſpexerat.

*Ezelinus.* Ezelinus, qui & Azolinus ſcribitur, eſtq́ ſine dubio Saxonicum Hezelo, qua primùm nocte vſus eſt conſuetudine coniugali vxoris ſuæ, cum incrementum ſuæ familiæ tum decrementum atq́ interitum ſomnio cognouit. Vidit enim collem agri Patauini, cui Romanum oppidum erat impoſitum ita efferri, vt cœlum vertice feriret: mox idem ſe demittere, & ſubſidere, quaſi euaneſcere, inſtar ceræ aut niuis liqueſcentis. Fortunæ vtriuſq́ filiorum hoc fuit præſagium. Sicut enim vt pater ab auo, qui fuerat Teutonicus, ſicut inquit Platyna, & ordines in Italia duxerat ſub Othone III. Imperatore & pòſt copijs à Friderico II. acceptis magnam tyrannidem in Italia Transpadana ſibi comparauerat, redactis in poteſtatem ſuam Taruiſio, Pataujo, Vincentia, Brixia vrbeſq́ ſocias aliã ſuper aliã calamitate afflixerat, poten-

tiam

ſtam acquiſiuerat, & opes non paruas, Ita filij eadem dignitate & ornamentis ſunt planè orbati. Nam Ezelinus filius, qui Aemiliam tenebat, & Venetiam, Mantuam obſidione preſſerat, Philippum Epiſcopum Rauennatem, Alexandri IIII. legatum, ſuperârat, & ceperat, vnà cum Epiſcopo Brixiano: deſertus ipſe ab omnibus ſocijs, omniq; inſubria vaſtata, captus, è graui vulnere Soncini eſt mortuus: Anshelmus Ecelini ex vxore nepos Patauio pulſus: Albericus, ſiue Albertus frater Taruiſio eiectus, cum vxore et liberis obtruncatus eſt, totaq; ſtirps deleta funditus.

Ea nocte, qua mortem obijt Iohannes XXIII. P. M. Epiſcopo cuidam in vicinia Romæ habitanti, & ad pontificem Maximum ituro (Erat autem tum temporis ſedes pontificum Romanorum Auenione in Gallijs translata eò, à Clemente V. anno 1306. vſq; ad annum 1376. vt Platina, ad annum ſcilicet pontificatus, Gregorij XI. ſeptimum) ſpecies ſe dormienti obtulit viri dicentis: Pontificem quæris? Non eſt amplius: & paulò poſt ſubijcientis, Vis videre pontificem? En iſte eſt: & hominem monſtrauit grandi ſtatura, ſed ignotum. Pergit progrediendo in cœpto itinere, & Auenionem venit, & ædes ingreſſus, in quibus de rebus ad rempub. Chriſtianam pertinentibus conſulturi conueniebant, ſingulos, qui ingrederentur, diligenter & accuratè contemplatus eſt. Poſtquam verò non conſpexit eum, quem in ſomnis viderat, Nunquid omnes Cardinales (ex his enim pontifex eligitur) ingreſsi eſſent, quærit. Cumq; audiret, omnes ingreſſos, vno excepto, Cardinali Blanco, Iacobo (vt Platina) ordinis Ciſtertienſis, Sanctæ Priſcæ Præsbytero, patrici Toloſano) Domum huius accedens, eoq; ad illam imaginem quæ in ſomnis apparuerat, collato, Tu pater, inquit, fies pon- *Epiſcopus quidam.*

tifex. In riſum ſolutus eſt Iacobus, ſiquidem pauperrimus inter omnes, tantæ dignitatis ſpem concipere non poterat, ſomnium audit: Pater, inquit Epiſcopus, is, quem in ſomnis vidi, tuam mihi formam & faciem obtulit, meq; introduxit in ſtabulum, cætera quidem immundum, ſed ſola area è marmore candidiſsimo, verum vacua. Ea te ſignificari non dubito, qui ſis illam virtute tua impleturus. Tu Paſtor eris qui curiam & Eccleſiam Romanam, auariciæ & ſtercorum plenam purgabis. Nec vanum fuit, Nam in ferendis calculis & ſententijs cùm hac forma ſinguli vterentur: Ego N. Eligo,: qui ſe non videbitur idoneus, Blancam eligendum cenſeo. Ita ſuffragijs omnium electus eſt pontifex in locum Iohannis XXIII. anno 1335. & nominatus Benedictus XII. Hæc M. Albertus Argentinenſis.

*Eugenius IIII.* Eugenio IIII. viri duo, alter habitum & formam referens Pauli, doctoris gentium & præputij, alter Petri faciem repræſentans, qui Apoſtolus fuit Iudæorum & circumciſionis, cum morbi leuationem, quo tum detinebatur, tum inſulæ & pontificatus dignitatem polliciti perhibentur. Fuit autem Eugenius IIII. natione & origine Venetus gente Condelmeria primo Gregorij XII. theſaurarius, deinde Epiſcopus Senenſis, pòſt in Cardinalium numerum relatus, apud Martinum V. maxima gratia floruit, Tandem Martino defuncto pontifex creatus eſt anno 1431.

*Nicolaus V.* Nicolaus V. Pontifex Maximus præſagio Nicolai Albergati Cardinalis Sanctæ Crucis, in cuius etiam memoriam, hominis de ſe benè meriti, nomen ſumpſit, pontifex ſomnio eſt deſignatus, idq; ipſemet narrauit Franciſco Philelpho (vſus enim ſemper eſt familiaritate doctorum, quos etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

iam in pontificatu vndicunq; ad ſe liberaliter inuitatos mu‑nificè fouit) cum Mediolanum tranſiret, legationem obire iuſſus à pontifice Eugenio IIII. in Germaniam, ad tollendam Germanorum neutralitatem ut appellabant in concilio Baſilienſi, in quo Felici duci Sabaudiæ corona pontificia impoſita fuit.

De ſua fortuna & pontificatu Aeneas Syluius, qui, mutato nomine, de conſuetudine pontificum Romanorum eſt pius II. ita ſcribit: Vix iſta locutus Vegius, cum Dea (ea Fortuna eſt) in me oculos contorſit, contractiſq; ſuperciliis, Quis te huc accerſiuit Aenea, inquit, Nemo inquam ego: ſed auidus te viſendi ingreſſus, noli mihi ſuccenſere. Vidi regnum tuum, Iam abibo. Vnum tamen ex te peto ſupplex, mihi vt paucis rogatibus reſpondeas, Faciam, inquit illa, propone. Tunc ego: (Prætereuntur hîc quæſtiones nonnullæ, breuitatis cauſa, ad vitandam prolixitatem) Quando mihi blandior eris? Cum te vocabo. Rurſus ego: Sûmne vocandus. Illa viciſsim, Scies poſtea. Hoc acceptum eſt de dignitate pontificia, ad quam euectus fuit Syluius anno 1459. *Aeneas Syluius.*

Fuit quidam, qui in ſomnis animo dimenſum & ædificatum templum vidit, omneſq; ſtatuas, imagines, aras, ornamēta reliqua: quæ tum intuitus eſt cum admiratione vſq; ad ſtuporem, cum initiaretur ſacris, & poteſtatem docendi in Eccleſia acciperet.

Hæc habui, quæ de ſomniis dicerem, hoc quidem tempore: idq; eo fine, non vt interpretem agerem & ὀνειροπόλου, Siquidem à ſua cuiq; natura & diuturna obſeruatione petendū diximus: nec tam regulis & arte, quám exemplis & vſu hanc rem conſtare: Sed, vt quantum intereſſet inter ea, quæ à naturali cauſa excitarentur in creatura rationali, & à

 decretis

decretis diuinis non diſcreparent, nec alium niſi Deum aũ-torem haberent, aut certè non aduerſatorem, & inter illa, quæ à diabolorum præſtigijs promanant,& à Deo abducunt ad inanes & noxias ſuperſtitiones. Deinde vt moueremur multa eſſe inania ſimulacra, nihil ſignificantia: alia verò animæ propria, à vi cœleſti irritata, quibus de multis rebus admonentur homines. Vtq; oſtenderemus eſſe in hac doctrinæ liberalis parte propoſitum, quòd ſit Mundi mens æterna & inenarrabile numen ,( vt magnus ille canit Lipſius) à quo regantur omnia: neq; dominetur caſus & fortuna,ſed omnia fiant,præuidente Deo & bona probante, turpia verò & à præſcripto vocis cœleſtis, ſanæq; rationis dictamine diſcedentia puniente.

Cuius prouidentiæ ſigna cùm cæteris naturæ partibus impreſſa ſunt, tum præcipuè menti humanæ, à diuina illa & æterna delibatæ: tum deniq; in ſomnijs veſtigia quædam reſtant: quibus conuincimur, etiam conſcientia teſte, numen illud ſeſe diffundere, per omnia, arcana & imperueſtigabili ratione, & acquieſcere in hoc opere ſuo, ( quatenus non prorſus furenter degenerat à principio & ortu ſuo.)

Is præſtantiſsimus & ſolertiſsimus artifex ſicut opus ſuum mira & ineffabili arte finxit, omnibus numeris exactè perfectum,adeò vt facilius ſit ſuſpicere et admirari cum quadam animi ſubiectiſsimi ſubmiſsione quàm inueſtigare & explicare: multò minus æmulari, etiamſi ars non pauca tentauit, & homines ἀλφισαὶ, Secundum Homerum: ita quoq; conſeruat: Conſeruat autem quam diu libet. Et quia hominum cauſa facta ſunt omnia, homo autem ſolus propter Deum: Id circo ſe totum effundit optimus ille artifex & Maximus, & ſeſe homini impertit, quem ad ſui ſimilitudinem

efformauit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

effformauit, eumq́ amanter complectitur, & totum ſe cognoſcendum dedit, ſcripta lege in cordibus noſtris. (Excipio eam doctrinam quæ è ſinu æterni patris prolata eſt, filio Dei interprete & oratore, rationi noſtræ non ſolùm ignota, verum etiam extremè aduerſa & contraria.) Huius bonitatis & reſpectus ad res humanas ſigna ſunt etiam in rebus viliſsimis, vt præſentem referat quælibet herba Deum, & teſtetur eſſe Deum αὐτίαν τῶν τῆς φύσεως ἀγαθῶν, & amari ab eo hominem, monſtrariq́ huic ſalutaria, vt ea amplectatur, & noxia vt fugiat.

Cùm verò latiſsimè pateat hæc prouidentia diuina, præter cætera, in ſomnijs quoq́ adumbratam eam libuit intueri, in quibus anima ſeſe multipliciter conuertente, & aliud ex alio inferente, imagines conformantur rerum futurarum, ad monendum, hortandum, dehortandum, impellendum hominem, quo vitet mala, apprehendat commoda.

Et quanquam multa repræſentat anima, & quaſi retexit liberior, quæ agitauit antè: ſuntq́ multæ ſpecies euanidæ, multa fallacia ludibria: Quædam tamen fidem inueniunt ab ipſo euentu, quæ ſunt σημαντικά, ſiue ea expreſſè rem euenturam offerent, quæ ſunt θεωρηματικά, ſiue ambiguè & per inuolucra, perq́ notas & ſimilitudines, vt ἀλληγορικά. Dedimus autem hoc moroſis vt ſomnia σημαντικὰ (de his enim diſputauimus) referremus ad aſtrorum actiones, & vires, quas in his inferioribus exercent, à quibus anima ad præſentiendum ſiue præſagiendum (non enim, ad diuinandum auſim dicere, ne, vt eſt in prouerbio, Camarinam) accenditur & inſtigatur. Si verò decere liceat, quod res eſt, omnino à ratione non fuerit alienum, nec in Deum, humani generis, & incolumitatis eius amantem iniurioſum, aſſeuerare, eſſe

quædam ſomnia etiam diuina hoc tempore. Qui enim mutatum Deum dixeris? Vna eademq; mens eſt æterna, idem Deus optimus Maximus nunc quoq; habenas mundi tenet: neq; ſolum habenas tenet, ſed ad ſuum temperat arbitrium: nec modo ad ſuum arbitrium imperat, ſed ſalutis noſtræ rationem habet, modo ne nobis ipſemet officiamus et deſimus, & ſalutaria ſuadet, à noxijs verò & pernicioſis abarcet. Si enim quondam felicia & ſocietati humanæ profutura monuit homines diu ante, quàm euenirent, nunc idem non faciat? Iniuria fit Deo omnium benigniſsimo, & in omnes ſine modo munifico.

Et qui ſic ſentiunt, ſi non verbis, at re tamen ipſa à gubernaculis Deum remouent huius opificij pulcherrimi: Iniuria fit animæ, quæ, etſi non parum languefacta eſt, non tamen à ſua natura planè diſceſsit accipiendo ea, de quibus diuinitus mouetur, & ſuis functionibus incumbendo. Excipio ſemper ea quæ acie humanæ mentis introſpici non poſſunt. Vitæ deniq; obſunt communi, quæ, vt omnes vno ore conſentiunt, quo propior fini eſt, eò languidior, plus requirit admonitionum, in his imperiorum confuſionibus, aduerſariorum clandeſtinis machinationibus, multorum defectione à fide & doctrina vera, ſcandalis impiorum inſtar palmæ florentium, & fortunæ flatu vtentium feliciſsimo, vt de pœnis hæreticorum, interitu tyrannorum, de liberatione bonorum admoneamur, quod in his turbis & ſtatu mundi miſero & lamentabili tamen ſit manſurum ſemen aliquod ſanctum, & duratura imperia, in quibus hæreat honeſtas & doctrina liberalis.

Quorum exempla cùm recentia tum vetera retulimus, nihil tamen derogantes verbo DEI, quod omni exceptione maius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

maius eſt, & ἀξιόπιστον. Audeáſne igitur nunc Deum fingere durîorem & a ſeipſo degenerantem. Degeneraſſet autem, ſi non, vt olim, homines moueret. At affirmare hoc de Deo, eſt ſanè impium. Et cur omnia ſomnia nunc deſierint, cauſam non video. Sunt profectò aliqua, non orta ſolum ex aſtrorum effectibus, animam mouentium: non veſtigia tantum præteritarum actionum & conſiliorum: non proſilentia modo è temperamento & habitu humorum: non ab immundis duntaxat ſpiritibus, corporis noſtri ſpiritibus impreſſa: Sed Deo nobis vtilia ſuggerente, animæ, aſtrorum, temperamenti adiumentis, immiſſa. Quod qui negant, ij etiam atque etiam diligenter viderint, ne, dum diuinæ maieſtatis gloriam ſe vindicare opinantur, damnando in vniuerſum ſomnia: in eandem non parum impingant, negando hîc quoque diuini numinis ad res humanas reſpectum, & curam beneuolentiæ & amoris plenam: & non ſatis intelligant, quód hac præſenſione ſiue præſagitione quàm proximè, ſecundum pietatem, ad eum, ad eius ſimilitudinem conditus eſt, homo accedat. Eſt autem veriſſimum profectò, Crede mihi ſapere eſt, non nimium ſapere. Volo tamen, vt quàm longiſſimè abſit à me ſuſpicio impietatis, amoris vanorum dogmatum, & ſuperſtitionum: á quibus abhorreo toto pectore, & omnia his affinia reijcio & damno. Quod conſtare ex ſuperioribus exiſtimo. Nec recipi volo quicquam, quod cum doctrina verè Catholica pugnet, ſcriptiſque Propheticis & Apoſtolicis & perpetuo piorum conſenſui ſit contrarium. Id quod ſupra iterum atque iterum incalcatum, hoc loco repetendum fuit, Quandoquidem nihil tam bene dici poteſt, quin morſus ſubeat calumniatoris: & nihil ferè vſitatius, hoc tempore, quàm crimen impietatis intentare ei, in cuius vita et moribus locum non habet lingua virulenta.

Nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Nec verò ſic accipi hoc velim, quaſi exactè abſolutum ſit opus, Abeſt, à me ea arrogantia: Et odi illud, quod faſtuoſi eſt hominis & conditionis ſuæ obliti: μὴ σοι γένοιτο καλῶς οὕτως, ἵνα ταῦτα μοῦ βέλτιον εἰδῇς. Cum autem hoc argumentum, in quo verſati ſumus, ſit admodum perplexum, & res ſanè difficilis, atque ſcopulorum plena, tantum abeſt, vt ægre ſim laturus, ſi qui me errantem humano more, candidè de conſuetudine doctorum admonuerint, vt etiam magnas ſim illis acturus gratias, & in præcipua humanitatis parte putaturus. Si qua placuerint viris bonis, erit quod gaudeam: nec laboris & diligentiæ qualiſcunque huic opuſculo impenſæ me pœnitebit: Sin, hoc egiſſe ſatis fuerit, ſi alij ad monendum me, aut ad ſcribendum de hoc argumento meliora excitabuntur. Nam & dociles erimus, & ad cedendum non contumaces, neque alijs exquiſitiora inuidebimus, Siquidem μουσῶν θύραι ἄφθονοι.

De ſomnijs verò ethnicorum ad calcem adijciendum putauimus. Etiamſi plurima à Diabolo profecta videantur, vt etiam ſunt: non tamen eum autorem habere omnia, quæ Demonē, Proſerpinā, Venerem, & his ſimiles præ ſe ferunt. Cùm enim ignorarent verum Deum ethnici, commutauerunt ſuam ipſorum gloriam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, quemadmodum loquitur Pſal. 105. & homines mortales diuino honore affecerunt, ac tandem etiam pro nu[illegible]ine coluerunt, quidquid nocendi vim, iuuandique haberet: Ad illa igitur numina commentitia retulerunt ſomnia pleraque, quorum nonnulla procul dubio fuerunt diuina, eo modo quo totam hanc rerum naturam præſentia ſua Vniuerſali Deus tuetur, & multa efficit, etiam in non renatis mirificè et aleam communem naturæ humanæ ferè ſuperantia, vt in Alexandro Magno, Scipione, Socratæ, Auguſto

guſto &c. Hæc cauſa eſt, cur quædam in noſtrorum exemplorum farragine inter diabolica non repoſuerimus, etiamſi mentio in ijs fiat deorum ethnicorum. Quod ſi videntur etiam ſine impia ſomnia illi inſerta, ideo factum eſt, quod nõnulla excuſari poſſunt: aut ſi non poſſunt, è doctrina ſuperiori non eſt difficile vera à falſis, impia à diuinis, prohibita à conceſsis ſeparare, ita vt ne quid inpietatem & honeſtatem impingatur.

Deum oro fontem omnis ſapientiæ, vt nos ſuo verbo & ſpiritu regat, & in via veritatis ducat, ne vllis fraudibus circumueniamur, ſed in ſimplicitate fidei, ei ſentiamus quæ vera ſunt, & ſaluti animæ noſtræ ſalutaria.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

HVic operi curas impendimus, omnia fletus,
Omnia dum miſeri plena fuere metus:
Peſtis enim noſtram triſtis graſsata per urbem,
Vaſtabat rigida proxima quæcꝫ manu.
Plorabat genetrix natos, naticꝫ parentes,
Conſortem coniunx flebat utercꝫ thori
Quiſcꝫ ſibi metuens, vel ſe metuebat vt hoſtem.
Horroris cauſam quælibet aura dabat.
Veſpere qui ſero præſtabat robore & annis.
Triſte oriente nouo ſole cadauer erat.
Talia quis fando â lacrymis ſibi temperet, aut quis?
Tanta queat ſiccis commemorare genis:
Omnia luctus erant, Templum, Schola, Curia, campus,
Priuatæcꝫ domus, omnia luctus erant.
Dira lues vix dum biſsenis menſib. actis,
Suſtulit aduerſo millia bina Deo.
Durior eſt quercu qui non miſereſcit, & expers,
Humani ſenſus, ſæuior eſtcꝫ feris.
Nec tamen iniuſtis nos plectunt numina pœnis,
Sed ſceleris pœnas impia vita luit.
Conuincente reos, quæ læſa eſt crimine noſtro,
Iuſticia & pœnam conſtituente Dei.
Vt verò offenſus ſe dignas concipit ira,
Expedit vt iuſtè vindicis arma manus.
Sic vbi pœnituit nos culpæ, crimina faſſos,
Vindictæ retrahit tela cruenta ſuæ.
Te piè Chriſte voco quo ſolo cuncta geruntur
Auſpice, tu vultu nos propiore iuua.
Tu medicos adhibe ſocios, ſeu forſitan vſcꝫ
Venit ab humenti peſtilis aura noto:

Siue

Siue palude lues, cœcisué exorta cauernis,
Materiam ſuperæ ſiue dedere faces:
Seu cauſa eſt quæcunq; : modi tibi mille iuuandi,
Vt quoq; ferendi ſunt tibi mille modi:
Quidquid vbiq;, tuum eſt: tibi nos debere fatemur
Cuncta, diu afflictis, nam potes, affer opem.
Pondus ineſt votis, iram miſeratio vincit,
Et ſuperant nubes, ſideraq; alta preces.
Aura redit melior, nigrantiaq; æthere cedunt
Nubila, placati ſigna ſerena DEI
Conuenit auditum Muſas, artesq; iuuentus,
Numinis in laudes erudienda ſacri,
Haud ſecus ac timidas tempeſtas atra columbas,
Diuerſas, ſubito turbine ventus agit,
Póſt reduces plaudunt alis, ſeſeq; ſalutant,
Lumine cùm Phœbus candidiore redit,
Paſtor vt errantes ſiluis, & montibus altis,
Horrendo trepidas fulmine, cogit oues,
Aut vbi pugnantes inter ſe Euruſq;, notusq;
Diſiiciunt ruptæ fragmina rara ratis,
Et tabulas, mediis quib. eſt ſeruatus in undis,
Nauta legens, ſortis ſpem melioris habet.
Sic tabulas preſsæ diuturno tempore navis
Colligimus, laceræ fractaq; membra ſcholæ:
Curia conſiliis & conſultorib. uſa,
Sarciri ut poſsint tot mala, quærit opem:
Iamq; frequentantur ſacræ cultorib. aræ,
Et ſuus eſt templis, antè negatus, honor.
Gratia Chriſte tua eſt, inter tot funera, ſalui
Quod ſumus, vlterius nos tua dextra tegat.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Vivo tibi, vitamq́ extrema per omnia duo,
Fingoq́ ſecuræ carmina mentis opus.
Sic nomen, laudesq́ tuas, et facta canemus,
Nec poterit meriti fama latere tui.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

# ELEGIA HINRICI RANZOVII DE SOMNIIS eorumq́ eventibus.

SAEpe tenebroſa perpeſſus ſomnia nocte,
His ſit, quæſiui, num tribuenda fides
Cumq́ mihi dubiam traheret ſententia mentem,
Somnia quam plures & nihil eſſe velint.
Euentus, dixi, faciet dubitabile verum.
Si quis ab euentu facta notanda putet
Somnia multa quidem ſum tempore paſſus ab iſto.
Hæc tamen euentu non caruêre ſuo.
Somnia ſunt aliquid, tu ſomnia ſpernere noli
Id me, cum ſacris, ſcripta prophana docent.
Hinc Iacobe tuus ſchalæ fuit impetus altæ, Geneſ.
Sic Nebucodonaſar ſomnia vera tulit. 28
Præuiſa in ſomnis ſunt vbertasq́ famesq́,
Cum caſtus Ioſeph carcere ſeptus erat.
Nam Pharao ſeptem ſat obeſo corpore vaccas
E ſummo vidit paſcua adire mari. Geneſ.
Mox vaccas totidem macilento corpore vidit, 41 cap.
Vix pelle harentes oſsibus atq́ ſuis.
Quid fuerint, ſeptem læti pro ventibus anni,
Et ſeptem ſteriles edocuêre ſatis.
Manipulus Ioſeph ſummos prædixit honores, Geneſ.
In ſummo viſus, nocte ſilente, grauis 37.
Fructificans vitis pincerna fauſta ſpopondit,
Quando erat in vinclis ſqualidus ipſe ſuis.
Cum vacat euoluas Daniëlis ſcripta Prophetæ,
His quoq́ ſunt aliquot ſomnia miſta locis.

In ſomnis monitus Ioſeph nutritor IESV

Fugit in Ægyptum cum genetrice DEI.

Hæc quoq; cauſa fuit Solymorum ex vrbe profecti

Cur Orientales non rediêre Magi.

Hæc exempla quidem monſtrant oracula vatum

Pluraq; ſuppeditant Ethnica ſcripta tibi.

Hiſtoria Aſtyagis non eſt incognita Regis,

Multorum certè quam monumenta notant.

Hic pulchrum vitem de ſe creuiſſe putauit,

Per ſua cum tacitus ſerperet oſſa ſopor.

Eſt eadem vitis viſa extendiſſe racemos,

Hi tegere poſſent Aſia quicquid habet.

Euentum ſortita ſuum res iſta putatur,

Aſtyagis Cyrum filia cum peperit.

Qui populus Aſiæ iuſto moderamine rexit,

Et non conficta laude perennis erit.

Nunc tua Tarquini, narrabo ſomnia paucis,

Auſoniæ regimen quem penes vrbis erat.

Hic patrio in ſomnis ſe more litare putauit,

Vt bene placatos poſſet habere Deos.

Ficticij quamuis eſſent, tamen ariete cæſo,

Hos gemino voluit conciliare ſibi.

Se quoq; proſterni ratus eſt truculenter ab vno,

Corporis in nigram mole feriret humum.

Idem ſe ratus eſt obſcuræ noctis in vmbra,

Quadrupedes roſei cernere ſolis equos.

Tranſuerſa viæ currentes a veſpere ad ortum

Mœſticia vnde viro non leuis orta fuit.

Hoc notat exilium, dixit conſultus aruſpex,

Rex ô Tarquini [illegible]is memor, exul eris.

Fiet & inſignis regni mutatio, qualem,

Vrbs pia Romulidum vix habuiſſe poteſt.

Temporibus priſcis Samium vixiſſe Tyrannum,

Proditur in doctis hic & vbiq; libris.

*Cui fuit eximium multo de robore nomen.*
*Obruta non vllo proſperitateq́; metu.*
*Suſtulit è medio mors hunc fœdiſſima tandem,*
*Dum trabe ſuſpenſus finijt ipſe dies.*
*Ipſius in ſomnis hoc filia v.derat ante*
*Quam fieret, ſomno territa virgo graui.*
*Suſpenſum quoniam patrem terram inter & aſtra*
*Dum dormitaret, vidit & obſtupuit.*
*A Phœbo nec non vngi conſpexit eundem,*
*Perfundi tandem vidit & imbre Iouis.*
*Contigit hoc totum, pater ſuſpenſus in altum,*
*Phœbæo nec non vſtus ab igne fuit.*
*Pinguedo fuit vnguentum, quam traxit ab illo.*
*Phæbus, & immenſis abluit imber aquis.*
*His patet exemplis, quòd ſint præſagia rerum*
*Somnia, iudi io & ſubijcienda graui.*
*Nam teſtatur idem Calphurnia Cæſaris vxor.* Valerius lib. 1. cap. 7.
*Quæ prius in ſomnis triſtia paſſa fuit.*
*Suſtulit e medio pro libertate vetuſta.*
*Quàm ſibi dilectum factio dira virum.*
*Namq́; cruentatum corpus ſibi viſa mariti eſt.*
*In gremio lachrymis fœda tenere ſuo.*
*Nec prece nec lachrymis ſomno defuncta pepercit,*
*A collo pendens offi. ioſa viri.*
*Curta ſi poſſet fieri ſuſpecta marito,*
*Cum ſocio Brutus nam bene notus erat.*
*Hei mihi quod ſpreuit Cæſar præcepta monentis,*
*Atq́; pijs precibus noluit eſſe locum.*
*Non tepefeciſſet generoſo ſanguine ferrum,*
*Nec fundens animam procubuiſſet humi*
*Si vbi geſſiſſet Cæſar Calphurnia morem,*
*Motus & hæſiſſet ſuſpitione domi.*
*Auguſtus fœlix, qui poſt tua funera Iuli.*
*Suſtulit imperij ſceptra relicta tui.*

Et prater ſummo quam quod ſucceßit honori,
Exemplo didicit cautior eſſe tuo.

Valerius Ibid. Plutarchus in Bruto.

His quia cum Brutum ſequeretur vindice ferro
Subiectus Medico maluit eſſe ſuo.
Quam vitam inſidijs exponere, Namq; Minerua
In ſomnis medico dixerat iſta ſuo.
Ac quoniam de te Cæſar, cœpere Camœna
Octaui, numeris latius ire libet.

Suetonius in Augusto,

Cum capitolinam ſolenni more dicaſſent,
Romulides ædem quæ decus vrbis erat:
Res quædam innotuit catulo per ſomnia Quinto
Carminibus quæ non eſt reticenda me[illegible].
Nam iuuenes aliquot ſacra conſpexit in æde,
Corporis eximios ingenijq; bonis.

Appianus lib. 4.

Quos prætexturæ donarat honore ſenatus,
Hos quoq; ludentes vidit, vbi ara ſtetit.
Mox capitolinus ſecreuit Iuppiter vnum
Vrbis & hunc celebrem fecit honore nouo.
Dans ipſi præclara tuum Reſpublica ſignum
Geſtabat celſa forte quod ipſe manu
Hoc primum: porrò catulus conſpexit eundem,
In gren[illegible]io dicti nocte ſequente Iouis.
Quæſiuitq; aliquem, qui de Ioue velleret ipſum.
Hoc vetuit monitis ſed Deus ipſe ſuis.
Non aliter, quam ſi ſub eo reſpublica tuta.
Succeſſu & florens temporis eſſe queat.
Obuius Auguſto catulus fit luce ſequenti.
In non ignoto lumina fixa tenens.
Ad mirabundus iuuenem dum ſpectat. in iſtas.

Valerius lib. 1. cap. 7.

Erumpit voces: hic decus vrbis erit.
Nam penitus membris ac ore ſimillimus iſti eſt.
Per ſomnum viſus qui fuit ante mihi.
Tullius eloquio quo tempore floruit, atq;
In toto mundo maxima Roma fuit:

Accidit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Accidit in Megara quoq́ res horrenda relatu,*
*Somnia quæ noctu nonnihil eſſe probat.*
*Arcades intrarunt vrbem duo, montibus altis*
*Cum maior noctis decidere vmbra ſolet.*
*Non vno tamen hoſpitio ſuſceptus vterq́ eſt,*
*Hic ſubijt noti tecta benigna viri,*
*Ille Lycaonias caſu ſed venit in ædes,*
*In quibus haud pietas, proh dolor, vlla fuit.*
*Nam ſimul ac ardor fuerat compreſſus edendi,*
*Atq́ erat in lecto caſſus vterq́ ſuo.*
*Hoſpes vah tetrum commiſit in hoſpite factum.*
*Cædeq́ inhumana polluit ipſe domum.*
*Cumq́ miſer caderet diro peregrinus ab enſe,*
*In ſomnis alter paſſus acerba fuit.*
*Vidit enim comitem contra vim, diraq́ tela,*
*Quærentem auxilium ſupplice voce ſuum.*
*Territus hac triſti ſurrexit imagine, ſed mox*
*Se reclinauit ſomnia vana putans.*
*Cumq́ iterum placidus clauſiſſet lumina ſomnus*
*(Eſt etenim laſſis non odioſa quies)*
*Vidit ab integro comitem non grata loquentem*
*Et ratus eſt tales ſe capere aure ſonos:*
*Hoſpitis è viuis quoniam me ſuſtulit ehei*
*Sanguinolenta, ferox & violenta manus,*
*Te rogo ne facinus ſaltem ferat illud inultum*
*At mea iudicibus triſtia fata refer.*
*Ne dubites, portas huius te confer ad vrbis,*
*Quamprimum fuerit craſtina viſa dies.*
*Hic iumentorum malè olenti ſtercore plenum,*
*Spectabis plauſtrum circumeunte rota.*
*Hoc exangue meum defertur ab vrbe cadauer,*
*Detur vt agreſti præda petita feræ.*
*Finis erat dictis, nocturna receßit imago.*
*Ex oculis pariter fugit & ipſa quies.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Obſtupuit iuuenis, ſtratumq́; reliquit amici
Induit & veſtes corde tremente ſuas.
Mox etiam properans portas perrexit ad vrbis
Euentum cupiens ritè videre rei.
Nec mora, currus adeſt, ſtat omiſtus ſtercore ac iſto
Abſconſum comitis ſtercore corpus erat.
Ah nimis infœlix & lamentabile corpus,
Hoſpitis occidit quod violenta manus.
Præuenit aurigam iuuenis, commotus & ira
Currentes ipſum ſiſtere mandat equos.
Deijcitur ſtercus cum ſtercore proh dolor iſto
Deiectum apparet triſte cadauer humo.
Sic patet infandum facinus, defertur ad aures
Iudicis, & pœnis fert homicida ſuas.
Non hæc in Megara conficta, ſed acta fuiſſe
Anno In ſcriptis meminit Tullius ipſe ſuis.
1560. Rem non abſimilem celeberrima Cimbria nouit
Colmariæ in noto quæ fuit acta loco.
Hic deteſtandum commiſit adultera coniunx,
Inſtincti Satanæ, proh furioſa, ſcelus.
Quale ſit, incluſum numeris, vt ſcire nepotis
Poſſint, qua potero dexteritate, dabo:
Incola Colmariæ quidam, cui ſedula certè
Cura domus, vxor ſed malè fida fuit.
Ad loca quæ porcis tunc exhibuere ſaginam.
Se cum vicinis contulit ipſe ſuis.
Obſcuram traherent cum ſera crepuſcula noctem
Apta viatori nox tamen illa fuit.
Cumq́; ſuis paulum digreſſus ab ædibus eſſet
Hei malè confeſtim cœpit habere miſer.
Dixit & ad comitem: Domus eſt repetenda ſodalis
Et quo perrexi non datur ire mihi.
Setigerum pecus ergo meum ne quæſo graueris
Ad noſtram rurſus ducere ritè domum.

Promiſſe

Promiſit comes iſta viro qui protinus ager.
Inflectit greſſus ad ſua tecta ſuos.
Aduenıens ædes occluſas vidit, & intra
Mox animaduertit cuncta ſilere domum.
Uxor enim Veneris gaudebat adultera furto,
Cum ſeruo fœdans luxurioſa thorum.
Et quia iamdudum ſeſe maleſida marito
Fecerat iniecta ſuſpitione ream.
Nunc etiam ſuſpecta fuit vir feruidus ira
Inſtitit ergo ſuas concutiendo fores.
Territus aufugit mœchus, ſtratumq́; reliquit.
Hei male pro merito nox nimis æqua fuit.
Pulſatas toties tandem vix mœcha recluſit,
Inſidijs nec non fraude repleta, fores.
Atq; viro cœpit vehemens intendere litem
Quam non immeritò debuit ipſa pati.
Neglectum incuſans pecoris diſcrimine plenum,
Pro nihilo duxit damna pudicitiæ.
Sed vir multa mouens, intra ſe, & laſſus eundo
Impoſuit lecto frigida membra ſuo.
Et cum prima quies ipſi per membra latenter
Serperit, admiſſum eſt exitiale ſcelus.
Mœchus cum Mœcha iugulum mucrone reſoluit.
Namq́; quieſcentis (res memoranda) viri
Mox etiam ſicco gelidum intruſere cadauer.
Atq; ſepulturæ proxima cura fuit.
Aggere defodiunt illud ſatis inde remoto,
Tutaq; ſperantes omnia, & absq; metu.
Inſuper egregium ſimulauit adultera luctum
Omnis cum fuerat turba reuerſa domum.
Repleuitq́; vias crebris vlulatibus omnes,
Atteſtando ſuum non redijſſe virum.
Sed Deus, è ſummo qui proſpicit omnia cœlo,
Iudice clam tantum noluit eſſe ſcelus.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Iuſtus enim Deus eſt, patrantes odit iniqua
　　Nunc qua deteſtum ſit ratione dabo.
Cum re confecta vicinia cuncta rediret
　　Vnus fecit equos pabula adire ſuos.
Et ſubter curru conceßit lumina ſomno
　　Aurora bigis approperante ſuis.
Hic vbi Mœcha viri defoderat ipſa cadauer,
　　Ah nihil eſt ſummum fallere velle Deum.
Namq; quieſcenti vir quidam apparuit, illum
　　Ore repræſentans, qui tumulatus erat.
Hunc ille obiurgat, quærens cur ſerius adſit
　　Nec tempeſtiuè venerit ipſe domum.
Hic contra: noli quicquam, vir amice, timere.
　　Sed mihi da puro pectore quæſo fidem.
Te ſummo ſtudio mea velle capeſcere iuſſa,
　　Annuit. hic autem talia deinde refert:
Cum Mœcho vxoris propriæ me dextra peremit.
　　Aggeris ac huius contumulauit humo.
Hoc ſuper impoſito dabitur ſpectare recenti
　　Ceſpite, & hoc notum fratribus eſſe velim
Cætera iudicibus mando: diſparuit hiſce
　　VocibusOrator, iamq; erat orta dies.
Ille domum pergit ſed præ formidine mentis
　　Dicere non audet fratribus iſta viri
Reſtaurans iterum grata ſua membra quiete
　　In ſomnis patitur, quæ modo paſſus erat.
Lecto aſtare virum ſtupefactus cernit eundem
　　Soluentem ſubitò talibus ora modis:
Cur leuis es, promiſſa negans? promiſſa requiro,
　　Aſtrictam verbis, te rogo ſolue fidem.
Quod me cum Mœcho iugulauit adultera coniunx
　　Detectum cupio fratribus eſſe meis
Triſtes exuuias aliò mea detulit vxor
　　Abſconſæ penitus non tamen eſſe queunt.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Tu comes eſto viris, tu dux quarentibus eſto.
Monſtrabit tandem nigra catella locum.
Nec mora cum Titan ſurrexerat, ipſe reiecto
Fratribus expoſuit ſomnia bina metu.
Quaritur amiſſus ſpectatur in aggere foſſa
Corporis humani ſigna relicta tenens.
Queritur vlterius corpus, non cernitur vllum.
Cernitur ad circa nigra catella viam.
Diſiicit hac terram pedibus norat atq; cadauer.
Protinus ad comites dux ſtupefactus ait.
Nigra quieſcenti talis mihi Catella eſt,
Hîc nobis ſiet res manifeſta viri.
Approperant omnes, mox defoſſumq; cadauer
Inueniunt, ſic per ſomnia res patuit
Sic DEVS in claram profert abſcondita lucem
Tandem impunitum nec ſinit eſſe ſcelus.
Et ne quid dubites me ſcribere vera, notabo,
Supplicium tulerit quo rea turba loco.
Stadenſem Mœchus fugitando venit in vrbem
Illic ſupplicium mox capitale luens,
Qualiter aſt vitam ſiniuit adultera coniunx,
Indicijs certis dicere Crempa poteſt.
Diuerſisq; licet pœnas, mortemq; tulêre,
Pro ſcelere admiſſo, fœmina virq; locis.
Amborum tamen vno fuit confeſſio, tali
Qualem commemoro ſingula geſta modo
Sic velut in ſpeculo ſpectas, ædiſſe ſupremum
Rectorem cædes concubitusq; vagos. Anno
Acta quidem ſunt hæc elapſo tempore Crempæ 1560.
Præfectus Rantzouv cum Nicolaus erat.
Sed quid ego numeris exempla vetuſta reuoluo
Cum præſens ætas talia multa ferat.
Muſtapha ne ſpernas in ſomnis viſa, peremptus
Te docet atq; monet ſanguine ritè ſuo.

Quale ſit, inſomnis quod vident, accipe paucis
Clauſerit & vitam qua ratione ſuam.
Muſtapha cum grata repararet membra quiete,
Lucida ſiderei ſcandit ad aſtra poli.
Venit & ad Solium Mahometi luce coruſcum
Neſcio quid numen ſupplice voce rogans.
Nec mora, cum Titan luſtrauit lampede terras,
Nuncius en præſens à patre miſſus erat.
Muſtapha dicebat, genitor Solimannus, vt ad ſe
Confeſtim venias me comitante iubet.
Muſtapha ſic contrà guttur ſermone reſoluit
Iam conſtat, ſibi quid ſomnia viſa velint.
Hei dudum eſt odijs quod ego diuexor iniquis
Et nunc ad cineres à genitore vocor.
Vt perenni, quæror, mala me præſagia terrent.
Parebo iußis ſed tamen ipſe patris.
Anno Perpetiar potius pulchram per vulnera mortem
1553. Quam videar patris ſpernere iuſſa mei.
Dixerat, & patris madefecit ſanguine ferrum
Somniaq; euentum ſic habuere ſuum.
Anno Quis regem Hinricum neſcit? Cui Gallia paret
1559. Vinetis paßim Gallia plena bonis.
10. Au- Is ſemel hoſtili gaudens certamine vires
guſti. Exercere ſuas, paſſus acerba fuit.
Dum turpi faciem fœdauit vulnere, nec non
Poſt aliquod vitam finijt ipſe dies.
Atq; ita diſceßit triſti certamine victus,
Viderat in ſomnis hæc Catharina ſuis.
Fœdere quæ facta eſt Gallis Regina iugali,
At Mediceorum ſtemmate nata fuit.
Anno Rex Daniæ Chriſti qui traxit nomine nomen.
1559. Tertius iſtius nominis atque fuit.
1. Ianuar. Ipſe propinquantis ſibi mortis protulit horam,
In ſomnis nouit quam memorante DEO.

Namq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Namq́ꝫ quieſcenti cum lumina ſomnus haberet,*
*Neſcio quis tales protulit ore ſonos.*
*Cum campana quidem quartam ſignauerit horam*
*Cumq́ꝫ anni primum ſiet origo noui.*
*Corporis ac animæ nexum* DEVS *ipſe reſoluet*
*Et tibi non vllus poſt cruciatus erit.*
*Ergo ſide* DEO, *bene ſpera ritè moneto,*
*Ante voles obitum ſi qua monere tuos.*
*Dicta pio Regi ſimul ..c aduenerat hora,*
*Mortuus in vera eſt agnitione* DEI.
*Angelus è cœlo dimiſſus forte per auras*
*In ſomnis Regi retulit iſta pio.*
*Nobilis Holſatiæ quidam de ſtirpe Quatenſi*
*Qua Ioſuæ ſancto de duce, nomen habet*
*Triſtia, nocturnus cum lumina ſomnus haberet,*
*Paſſus Ranzouio de Daniele fuit.* Anno
*Vidit enim teretis crepitanti glandinis ictu,* 1569.
*Proſterni egregium Marte furente Ducem*
*Ioſiæ fratri, lecto quo cum hæſit in vno,*
*Retulit, ac alijs qualia paſſus erat.*
*Elapſis vero bis ſeptem ritè diebus,*
*Euentum cœpit res miſeranda ſuum.*
*Namq́ꝫ viro forti faciem globus abſtulit ingens*
*Haud ſine multorum quæſtubus ac Lachrymis*
*Nox quæ ſumma meo fuit & poſtrema parenti,* Anno
*Cuius adhuc dextro murmure ſama viget.* 1565.
*Certa ſecuturæ fecit præludia mortis* 22. De-
*Languenti ſomno facta moleſta graui.* cemb.
*Luctari quoniam ſe nocte putauit in iſta,*
*Cum monſtro, humanum quod vocat omne genus.*
*Fœmina per pomum maleſuada quod intulit orbi,*
*Inſtinctu Satanæ fœmina facta nocens.*
*Se quoq́ꝫ proſterni genitor vinciq́ꝫ putauit,*
*Vincere qui ſolitus fortiter ante fuit.*

Hoc ita

*Hoc ita feruenti fuit infirmatus agone,*
*Sudorem membris vt daret vſq; ſuis.*
*Tunc ego Germanusq́; meus quem fata tulerunt,*
*Tentamus ſomnum rumpere voce grauem*
*Euigilat genitor, narrat ſua ſomnia quænon*
*Triſtitiæ nobis cāuſa fruere leuis.*
*Triſtia vicinæ ſunt hæc præludia mortis.*
*Diximus & venit, proh dolor, hora patris*
*Nox elapſa fuit, pars eſt exacta diei*
*Viuaq́; cum letho lucta ſecuta fuit.*
*Succubuit genitor, ſed ſic vt ſcanderet aſtra.*
*Pars melior capiens cœlica regna ſui.*
*Propria nunc etiam deſcribere ſomnia paucis,*
*Perq́; ea quæ fuerint notificata, iuuat.*
*Hæc belli euentum mihi prædixêre cruenti*
*Quo duo ſceptrigeri conſeruere manus.*
*Hic quorum Daniæ latas moderatur habenas*
Anno 1569. 11. Nouema.
*Ille gerit Suerici Regia ſceptra ſoli.*
*Hæc quoq; fecerunt præſagia vera futuræ*
*Mortis, Rantzouio de Daniele mihi.*
*Ad quem, cum nullus fuerit præſtantior heros*
*Iſtius belli ſumma relata fuit.*
*Filiolum quoties mea prægnans ædidit vxor.*
*Filioli toties ſpes mihi certa fuit.*
*Nam prius in lucem quam charum poneret ipſa*
*Ventris onus, noctu eſt viſus adeſſe puer,*
*Viſus adeſſe mihi eſt & circa ludere lectum*
*Quale ſit, hinc didici parturientis onus.*
*Filiolum paries vxor chariſſima dixi.*
*Et mihi filiolum parturiendo dedit.*
*Sæpius in ſomnis flamma crepitante reſolui*
*In cineres viſa eſt arx Bredeberga mihi.*
*Quam meus extruxit genitor ſat ſumptibus amplis,*
*Rebus & inſtruxit non minus omnigenis,*

Hoc quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Hoc quoties vidi mihi lux proſperrima ſemper,
Contigit & votis conſona ritè meis.
Cui Roſa deq; Roſis pulchrè contexta corona,
Cognomen fecit, nunc mihi carmen erit.
Oxius alter erit ſed ne prænomina ſenſum
Impediant, numeris ſunt quoq; danda meis.
Petrus & Holgerus: quid nunc cognoſce, ſit actum — Anno
Hi ſeſe in ſomnis exhibuêre mihi. — 1575.
Non aliter quam ſi curru veheremur in vno
Miſcentes ſcitis ſeria dicta iocis.
Optima regnandi ratio quæ poßit haberi
Quæſitum eſt, lenis vel violenta, mihi.
Nam prius aurigæ dederam præcepta, modeſtè
Cogeret vt noſtros, non violenter, equos.
Dedecet aurigam dixi, violentia, & illos
Qui regnant, ſiquidem plurima damna parit.
Oxius oppoſuit: non manſuetudine leni,
Vi ſumma debet ſed vaga turba regi.
Lenta regat Corilus pueros ætate tenellos,
Luxurioſa graui turba premenda iugo eſt.
Dum nos ſermones de regnis cedimus iſtos,
Aduerſas partes & mihi Petrus agit.
Aurigam pariter monet hortaturq; ſubinde,
Fortius vt noſtros cogere pergat equos.
His monitis auriga, viri dum paret & inſtat
Impingit currus, vertitur atq; cadit.
Excußi vero, ceu mos eſt, forte rotarum
Petrus & Holgerus ſub grauitate cubant.
Tunc ego: vicina ſunt hæc præſagia mortis — Anno
Et ſic è viuis ceßit vterq; breui. — 1575.
Fert mea mens alium reliquis attexere caſum,
Non parui luctus qui mihi cauſa fuit,
Cum meus Hæbraicas peragraret filius vrbes,
Materni nomen qui benè ſeruat aui.

Anno 1580.

*In ſomnis ipſum nec opina morte peremptum*
*Conſpexi, largis fletibus ora rigans.*
*Cum prius ad vellem defunctum cernere gnatum,*
*Non meus eſt viſus filius, aſt alius.*
*Nec minus indolui tamen & ſum paſſus acerba*
*Filius ac fuerit ſi meus, haud alius.*
*Hæc ego non paucis narraui Regis in aula*
*Dicens me nati fata timere mei.*
*Euentum cognoſce rei: ne ſomnia ſpernas.*
*Elapſi fuerant cum duo namq; dies.*
*Hei fratris Pauli tenebroſa noctis in vmbra.*
*Enſe trucidatus filius occubuit.*
*Nobilis alterius quem ſanguinolenta peremit*
*Dextera, non pœnas effugitura* DEI.
*Hic mihi tam dilectus erat quam propria proles,*
*Virtutis dederat nam bona ſigna ſuæ.*
*Cumq; meo gnato nomen commune Gerhardus*
*Ipſi erat, ipſe Deus ſoſpitet, oro, meum.*

Anno 1582.

*Fertilis atq; potens Hiſpanica terra Gerhardum,*
*Cum fouit gnatum, detinuitq; meum.*
*In ſomnis vidi reducem, ſi ritè recordor,*
*Perfuſus magna lætitiaq; frui.*
*Narraui multis viſum, natuſq; Gerhardus,*
*Venit poſt paucos ad mea rura dies.*
*Heu mihi, quid dicam fuerint quam ſomnia vera.*
*Ante obitum nati quæ mihi viſa mei?*
*Surgite cum Roſeo coniunx Titonia lecto,*
*Atq; ſolet Phaëton iungere ſolis equos:*
*Tum mihi ſum viſus patrem mandare ſepulchro,*
*Largiter & lachrymis ora rigare pijs.*
*Magnaq; nobilium pariter mihi viſa corona,*
*Quæ patri extremum præſtitit officium.*
*Protinus euigilo, vigilanti lumine porro,*
*Nil cæcas tenebras cernere præter erat.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Hic ad me rediens dicebam : proh dolor, iſta
    Filioli mortem credo notare mei.
Et tibi præcipuè metuo dilecte Iohannes,
    Sic quod auo ſimilis nomine & ore tuo.
Huic alia in ſomnis etiam ſucceßit imago,
    In bulla nati funera mœſta notant.
Nam bullas veſtis mihi cum numerare viderer,
    Veſtis in extremo defuit vita loco.
Bulla quid hæc fuerit vicino tempore ſenſi,
    Cum rapuit natum parca maligna meum,
Qui fratrum minimus nomen referebat auitum,
    Hei quanti luctus hic mihi cauſa fuit,
Nuper & in ſomnis amitam ſepelire videbar,
    Quæ Catharina ſuo nomine dicta fuit.
Euigilans recito charis hæc ſomnia gnatis
    Nec minus algenti pectore triſtis eram.
Namq; obitum gnatæ viſum hoc prædicere ſenſi,
    Cui quondam ex amita nomen & omen erat.

Anno 1582. 17. Octob. Anno 1587. 26. Maij

Nec mora, proh dolor euentus reſpondit, & iſta
    Deprendi haud vera viſa carere fide.
Nam Catharina graui correpta eſt filia morbo,
    Quem quoq; mors ſubitò dira ſecuta fuit.
Illa ſepulturæ cauſam mihi præbuit, illa,
    In ſomnis viſus quam ſepelire, fuit.
Hic etiam luctus grauior, mihi crede, fuiſſet,
    Ni præuidiſſem nocte ſilente malum.
Nam quia præuidi ſtudui anteuenire dolorem,
    Si mihi quem nati triſtia fata darent,
Et luctum metuens ſolatia quærere cœpi,
    Ex verbo nunquam decipiente DEI.
O fœlix qui non ſecure ſomnia ridet,
    Ritè ſed obſeruat quid ſibi cuncta velint.
Quærit & ad quemuis vitæ medicamina caſum,
    Nam præuiſa minus lædere tela ſolent.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

 Hoc quicunq; facit medicas adhibere dolori
Ipſe poteſt, quando venerit hora, manus.
Namq; futurarum ſi quis præſagia rerum
Irridet, ſtolidis annumerandus erit.
Inſulſo ſimilis medico, medicamina cunctis
Qui præbet, ſeſe curat at ipſe nihil.
Hæc ego non hominum dubijs ſermonibus hauſi
Sed mihi ſunt proprijs cognita vera malis.
Semper ego quoties dixerunt ſomnia luctum,
E verbo ſumpſi Pharmaca certa DEI.
Humanum eſt etenim quod nobis accidit ipſis,
Et ſimul eueniunt cuncta volente DEO.
Matth. Res nihil eſt capitis pilus & paſſerculus vnus,
10. cap. Ignorante Deo non tamen iſte cadit.
Nec vitare poteſt homo quod diuina voluntas
Conſtituit, veluti pagina ſacra docet.
Et quamuis luctu ſe quiſquam conficit ægro,
Nequicquam tamen hinc vtilitatis habet.
Solus enim Deus eſt qui damna grauiſsima nobis
Cum vult in lucrum vertere dulce poteſt.
Promiſitq; malis noſtris ſe velle mederi,
Namq; aduerſa bono claudere fine ſolet:
Hæc in me vincit meditatio ſæpe dolorem
Dum res amiſſas obliuione tego.
Expectoq; diem qua filius ipſe tonantis,
Expectata pijs cœlica regna dabit.
Hæc ego non vllo medicamina tempore ſpernam,
In precio cunctis ſemper habenda pijs.
Nam mihi longæuæ ſpes eſt certiſsima vitæ,
Et mala viuenti ſunt metuenda viro.
Nata ſit vnde mihi forſan ſpes iſta requiris,
Deſine, nam paucis verſibus iſta dabo:
In ſomnis mihi ſum cunctos amittere dentes
Viſus, & ora nihil fundere poſſe cibi.

Hoc ego

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Hoc ego vicinæ veluti præſagia mortis*
*Accepi, ac fudi vota piaſq; preces.*
*Sed quia carniuoræ rabies mihi parcere mortis*
*Iuſſa fuit, canum me fore credo ſenem.*
*Subſcribunt mihi qui cœlum ſcrutantur & aſtra*
*Et ſpondent vitæ ſtamina longa meæ.*
*Nec leue pondus habet quod cum genetrice parenti*
*Eſt data canities pol veneranda meo.*
*In ſomnis etiam vox hæc mihi venit ad aures:*
*Voluendo fies ſcripta diſerta ſenex.*
*Te populus cernetq; ſenem, cernetq; legentem,* Anno 1574.
*Iſta ſenectutis ſunt data ſigna mihi.* 25. Martij ætatis
*Sed promiſſa DEI ſuperant hæc omnia ſigna,* 49.
*Et promiſſa nego fallere poſſe DEI.*
*Qui donec ſupereſt mortalis vita parentes*
*Sincero ac ſtabili ſemper honore colit.* Exod.
*Is certè capiet longæua tempora vitæ,*
*Quarti præcepti ſumma ſacrata refert.*
*Non eius metuet meritas tranſgreſſio pœnas,*
*Sed feret à ſummo præmia magna DEO.*
*Et quando fuerit preſſus torrente malorum,*
*Auxiliatrices ſentiet ipſe manus.*
*Hunc quoq; non dura Deus audiet aure precantem*
*Et plus quàm potuit quærere ſponte dabit.*
*Eius & in nihilum redigentur crimina cuncta,*
*Horrida ceu glacies ſole calente perit.*
*Hæc mihi ſpem longæ faciunt oracula vitæ,*
*Promittunt annos Neſtorioſq; mihi.*
*Dum vero colui reuerenter honore parentes,*
*In verbo Dominus ceu iubet ipſe ſuo.*
*Somnia nam fas eſt ſacro poſt ponere verbo,*
*Vtpote quod veri pendet ab ore DEI.*
*Eſt tamen inſipiens qui ſomnia ſpernit & odit,*
*Cumq; ſuo ſomno ſemper abire ſinit.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

*Verùm quis poterit paucis comprehendere cuncta*
*Verſibus. hæc elegis ſumma ſit ergo meis.*
*Somnia ſunt aliquid, tu ſomnia ſpernere noli,*
*Id te cum ſacris ſcripta prophana docent.*
*Multa monet natura, Deus quoq; plurima mittit.*
*Per quæ mortales ſæpè futura docet.*
*Tandem me vanaſi non ſpe ſomnia ludunt,*
*Conſona promiſſis quæ liquet eſſe DEI.*
*Te, Deus omnipotens, precor vt tranquilla ſenectus*
*Finiat ætatis luſtra peracta meæ.*
*Sincero de corde tamen celebrare colamq;*
*Siue breui moriar, ſiue ſuperſtes ero.*
*Vltima namq; dies vitæ, ſi credimus, huius*
*Eſt nobis vitæ fons & origo nouæ.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 182 [14,-273 4°]